Contents: —

See Opposite.

The same. Pars altera. Lipsiae. 1867.

ADNOTATIONUM CRITICARUM AD M. TULLII CICERONIS ORATIONEM CAECINIANAM PARS PRIOR
QUAM AD RENUNTIATIONEM
PHILOS. DOCTORUM ET AA. LL. MAGISTRORUM
RECTORIBUS MAGNIFICIS
CAROLO FRIDERICO AUGUSTO KAHNIS
THEOL. D. P. P. O. ECCLESIAE CATHEDRALIS MISENENSIS CANONICO CAPITULARI ORD. REG. SAX. PRO MERITIS AC FIDE EQUITE
ET
CAROLO FRIDERICO DE GERBER
REGI SAXONIAE IN CURA IUSTITIAE A CONSILIO SANCTIORE UTRIUSQUE IURIS DOCTORE ET PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO ORD. REG. SAX. PRO MERITIS AC FIDE EQU. IN ORDINE REGIO EQUITUM CORONAE WUERTTEMBERGICAE PRAEFECTO ORDINIS LEOPOLDINI CAESAREI AUSTRIACI ITEMQUE ORDINIS AQUILAE RUBRAE REGII BORUSSICI TERTIAE CLASSIS EQUITE
DECANO
GUILELMO ROSCHER
PHIL. ET IUR. UTR. D. DOCTRIN. POLIT. PRACT. ET CAMERAL. P. P. O. REG. SAX. AB INT. AUL. CONSIL. COLLEGII QUOD AGRICULT. IN SAX. IUVANDAE STUDET SODALI ORD REG. SAX. PRO MERITIS AC FIDE EQU. ORDD. IMP. RUSS. ST. ANNAE ET ST. STANISL. PRAEFECTO SOCIET. IABLON. PRAES. REG. SOCIET. LITT. SAXON. ALIARUMQUE SODALI INSTITUT. FRANCOGALL. CORRESP. UNIV. CASAN. PROF. HONOR. ETC.
PROCANCELLARIO
CHRISTIANO HERMANNO WEISSE
PHIL. ET THEOL. DOCT. PHIL. P. P. O.
INDE A PRIMO DIE MENSIS MAII A. MDCCCLXV. USQUE AD DIEM TRICESIMUM MENSIS APRILIS A. MDCCCLXVI.
CREATORUM INDICENDAM
EDIDIT
REINHOLDUS KLOTZ
PHILOL. CLASS. PROF. P. O. ORD. REG. SAX PRO MERITIS AC FIDE EQUES cet

---

LIPSIAE
PROSTAT APUD A. EDELMANNUM
BIBLIOPOLAM UNIVERSITATIS.

Quom nuper M. Tullii Ciceronis orationes nouae editionis parandae causa maiore cura et diligentia recognoscerem, illam autem orationem, quae est *pro A. Caecina* apud recuperatores a Cicerone habita, etiam auditoribus meis enarrarem, factum est, ut nonnulli loci in ceteris orationibus, plures etiam in hac Caeciniana oratione a me iam melius constitui posse uiderentur, quam antea aut a me ipso aut ab aliis erat factum, itaque quae ex hac ipsa oratione commemoratione digniora esse uideantur iam hoc libello academico sententia est breuiter exponere. Instituam autem hoc ita, ut potissumum Io. Georg. Baiteri, qui huius saeculi anno LIV., et C. E. Kayseri, qui anno huius saeculi LXII. hanc orationem edidit, curas in emendanda hac oratione positas respiciam.

Ac primum quidem c. 1. §. 1. Baiterus ac Kayserus Ciceronis quae sequuntur verba sic nuper constituerunt: *uerum et illud considerati hominis esse putauit, qua de re iure disceptari oporteret, armis non contendere, et hoc constantis, quicum ui et armis certare noluisset, eum iure iudicioque superare.* Quibuscum ego ita dissentio ut *decertari* potius quam *disceptari* scribendum esse existumem his argumentis ductus. In libris exceptis codicibus Tegernseensi et Erfurtensi omnibus legitur *decertari*, in his autem libris, quos modo excepi, non habetur id ipsum quod Graeuius primum coniecit *disceptari*, uerum *deceptari*, ut in codice archetypo DECERTARI exesa parte R litterae scriptum fuisse uideatur, qua re scriptura discrepans quae in libris est facile explicari potest. Ita iis satis factum esse opinor, qui in emendandis ueterum scriptorum libris rem ad artem et certa praecepta reuocare consueuerunt. Uerum tamen Baiterus tres Ciceronis locos ita commemorauit quasi iis efficeretur *iure disceptari* potius quam *iure decertari* hic scribendum esse, qua in re uir doctissimus uehementer falli mihi uidetur. Protulit autem hos locos, *Accus.* II. 15, 38. *Hera-*

clius — postulat, ut sibi cum palaestritis, hoc est, cum populo Syracusano aequo iure disceptari liceat, quo loco nihil aliud efficitur nisi hoc, de quo nemo umquam dubitauit, suo loco *iure disceptare* dici posse, non efficitur *iure decertare* dici non posse. Id uero recte dici alter locus, quem Baiterus attulit, plane ostendit, *pro Cn. Plancio* 36, 87. *sed erat non iure, non legibus, non disceptando decertandum,* quibus in uerbis haec ipsa locutio *iure decertare* una cum locutionibus *legibus decertare* et *disceptando decertare* consociata est. Tertius locus, quem Baiterus protulit, ex eodem fere genere est lib. *de officiis* I. 11, 34. *nam quom sint duo genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per uim.*, quo quidem loco hoc ipsum efficitur decertari non solum per uim posse, uerum etiam per disceptationem, id est sententiis ab utraque parte dictis argumentisque prolatis, id quod multis etiam aliis locis facile probari potest, ueluti lib. *de finibus* V. 2, 5. *an eum locum lubenter inuisit, ubi Demosthenes et Aeschines inter se decertare soliti sunt?* et *Philipp.* II. 1, 2. *an decertare mecum uoluit contentione dicendi?* Sed omittamus hoc. Nam qui Latine sciunt, hoc sciunt et *iure disceptare* et *iure decertare* recte dici. Immo aliud hoc loco quaeritur et id est, quo res decernitur. Non enim Cicero hoc uult dicere, uoluisse A. Caecinam uerbis potius quam armis cum Sex. Aebutio contendere, uerum illud ait, A. Caecinam id certamen, quod Sex. Aebutius in agro locoque deserto temptasset, ad forum atque ad iudicium transferre uoluisse, non tantum ut nunc uerbis de ea re ageretur, quae antea ui et armis esset gesta, sed ut certamen illud, quod ui armata initum esset, iam iure iudicioque ad finem perduceretur. Itaque in omnibus quibus orator utitur uerbis imago certaminis manet *decertari, contendere, certare, superare,* quae quidem certaminis imago tum obscuraretur, si quis contra artis criticae praecepta *disceptari* potius quam *decertari* scribere uellet.

C. II. §. 4. Baiterus nuper uerba Ciceronis sic constituit: *Nam, si negassent uim hominibus armatis esse factam, facile honestissumis testibus in re perspicua tenerentur: sin confessi essent et id, quod nullo tempore iure fieri potest, tamen ab se iure factum esse defenderent, sperarunt, id quod adsecuti sunt, se iniecturos uobis causam deliberandi et iudicandi iustam moram ac religionem.* His in uerbis Cod. Teg. et ceteri fere libri *tum ab se* habent, cod. Erfurtensis cum paucis libris habet *tamen ab se.* Fateor me ipsum olim auctoritate codicis Erf. ductum *tamen* recepisse, qua in re me Iordanus et Orellius secuti erant, sed in editione stereotypa, qua Baiterum quoque in aliis locis usum esse

uideo, monitus a Fr. Lud. Kellero iam pridem *tum* reposueram, quod uerba quae opposita sunt huic membro: *quod nullo tempore iure fieri potest*, paene flagitare uidentur. Quam ob rem recte Kayserus fecit, quod *tum* particulam seruauit.

§. 5. ut mihi minume probandum esse uidetur quod Kayserus nuper in uerbis his: *Qua in re, si mihi esset unius A. Caecinae causa agenda, profiterer satis idoneum esse me defensorem, propterea quod fidem meam diligentiamque praestarem*, omitti *in* praepositionem ita uoluit, ut scriberetur *qua re* — est enim *qua in re* idem quod *qua in causa, quo in iudicio* —, sic illud comprobandum esse existumo quod in uerbis iis, quae deinceps leguntur: *Sed quum de eo mihi iure dicendum sit, quod pertineat ad omnes, quod constitutum sit a maioribus, conseruatum usque ad hoc tempus, quo sublato non solum pars aliqua iuris deminuta etc.* idem Kayserus e codice Tegernseensi recepit *quodque constitutum sit* pro *quod constitutum sit*. Eo enim, quod priora ista membra aptius inter se coniunguntur, tertium illud, quod incipit a uerbis *quo sublato* et quo quid ex ea re incommodi nascatur ostenditur, magis effertur, id quod sententiae maxume accommodatum est. In membris autem his: *quod pertineat ad omnes, quodque constitutum sit a maioribus, conseruatum usque ad hoc tempus*, alterum duabus partibus per asyndeton positis constat, quarum intellegentia ita adiuuatur, si uoce uerba *constitutum* et *conseruatum* in pronuntiando efferas.

§. 7. Baiterus et Kayserus Ciceronis uerba sic constituerunt: *Nam ut quaeque res est turpissuma, sic maxume et maturissume uindicanda est: at eadem, quia existumationis periculum est, tardissume iudicatur*, qua in re coniecturam meam, quam superiore tempore in *Emendationibus Tullianis* p. 10 sq. proposueram, sese secutos esse profitentur. Sed tamen etiam nunc de huius loci scriptura dubitari posse uidetur. Legitur enim in codice Taurinensi palimpsesto pro uerbis *at eadem quia* hoc ADḊĖ EADEM ḢAĊ QUIA. Ex eo facile intellegitur codicem archetypum, unde codex Taurinensis exscriptus est, scripturam *at de eadem hac quia* habuisse, in altero autem libro, quo auctore is, qui emendauit illum librum, usus est, fere hanc scripturam fuisse *at eadem, quia*, quam quidem scripturam ceteri libri, quamuis uarie ea uerba scripta habeant, omnino tuentur. Ac profecto aliis quoque locis litterae in codice Taurinensi punctis notantur illae, quae aut delendae sunt aut deleri posse uidentur, ueluti 17, 48. CONCEDISSṠİ, 17, 49. DEPELLI ḊĖ LOCO, ibidem TAṄCTUS, 23, 64. QUȮM FUSTIBUS ET QUȮM SAXIS. Qua re id, quod

ego in *Emendationibus Tullianis* l. c. proposueram, satis defendi posse uidebatur. Uerum tamen in his locis neque certa omnia sunt quae punctis notata sunt — nemo enim hoc contendere poterit *depelli loco* dici posse, *depelli de loco*, id quod illo loco etiam ceteri libri tuentur, dici non posse — et cum sententiam ipsam spectamus, altera scriptura paene praestare uidetur, qua de re et ego in priore editione mea dixeram p. VII. et Kellerus dixit in *Semestrium ad M. Tullium Ciceronem* uol. I. p. 439. Uerba enim *at de eadem hac* hoc sibi uolunt: *at de hac re, quae est de eodem genere, quae plane in numero rerum turpissumarum reponenda est.* Quod quum ita sit, obtinendum potius censeo id, quod totidem litteris in codice palimpsesto legitur: *at de eadem hac, quia*, quam alteram rationem sequar, quae per se intellegi potest ita, ut *eadem* sit similis res aut turpis causa.

C. III. §. 8. omnes fere critici Ciceronis uerba nunc ita scripserunt: *Potuisti enim leniore actione confligere: potuisti ad tuum ius faciliore et commodiore iudicio peruenire: qua re aut muta actionem aut noli mihi instare, ut iudicem*, quamquam cuncti hic libri, in his etiam palimpsestus Taurinensis, codices Tegernseensis et Erfurtensis, scriptum habent *leuiore*, non *leniore*. Fateor permagnum in libris discrimen non esse inter *leniore* et *leviore* aut inter LENIORE et LEUIORE, quamquam in codice palimpsesto sine dubio LAENIORE hoc quoque loco scriptum esse debuit, si eius codicis scriptor eam scripturam uellet repraesentare, qua de re deinceps dicetur, sed aliquid tamen in his quoque rebus auctoritati librorum tribuendum est, quae ne tum quidem, si leuius discrimen esse uideatur, prorsus neglegenda est. Ponamus igitur primum id, quod in libris est: *Potuisti enim leuiore actione confligere* etc., et uideamus, possitne id recte intellegi. Leuiore actione confligere recte dici, si quis uelit hoc significare a c t i o n e m i n u s g r a u i e t e a, q u a e m i n u s e u m, i n q u e m d i r i g i t u r, l a e d a t, uti, nemo potest negare, si modo ea uerba conferat quae leguntur huius orationis §. 7. *quorum alterum (iudicium) leuius est, propterea quod et minus laedit et persaepe disceptatore domestico diiudicatur.* Hoc loco, quo a nullo critico quae in libris est scriptura *leuius* mutata est, efficitur leuiorem actionem eam fere esse, quae minus laedat, et recte grauiori actioni, qua persona eius, in quem actio intenditur, in periculum famae uocatur, opponi, ueluti in oratione, quae est *pro Q. Roscio comoedo* 9, 25. *Quae quum ita sint, cur non arbitrum pro socio adegeris Q. Roscium quaero. — Formulam non noras. — Notissuma erat. — Iudicio graui*

experiri nolebas. — Quid ita? — Propter familiaritatem ueterem., quibus in uerbis eodem modo, quo hic levior actio ponitur, e contrario grauius iudicium dicitur. Hinc apparet uerba: *Potuisti enim leuiore actione confligere,* per se stare recte posse, ut levior actio ea sit quae minus periculi adferat ei, cui intendatur. In dissimili re similis oppositionis ratio intercedit inter nomina adiectiua *grauis* et *leuis* in oratione *pro P. Quinctio* 18, 57. *Uereor mehercule ne aut grauioribus utar uerbis, quam natura fert, aut leuioribus, quam causa postulat.* In simili sententia declaranda uersatur haec uox etiam in oratione *pro Sex. Roscio* 33, 93. *eos, quos qui leuiore nomine appellant, percussores uocant.* et in *Disput. Tusculan.* I. 40, 95. *quod enim leuius huic leuitati nomen inponam?* ad quem locum uide quae ipse commentatus sum p. 137. Quod quum ita sit, mihi plane dubitari posse non uidetur quin *leuiore actione confligere* recte hoc loco dici potuerit. Sed plus etiam contendam. Mihi illud quod Passeratius primum contra omnium librorum auctoritatem proposuit omnesque fere critici acceperunt: *Potuisti enim leniore actione confligere,* in persona iudicis recuperatorisue ne satis quidem commode dici potuisse uidetur: certe non satis caute faceret iudex aut recuperator, qui leniorem actionem ab altero requireret. Nam qui id postularet ab aduersario iudex, hoc postularet, ut alter de iure suo aliquid remitteret, quod prudens iudex postulare non debebat. Quod autem quae infra §. 9. leguntur uerba: *Nunc uero quis est qui aut uim hominibus armatis factam relinqui putet oportere aut eius rei leniorem actionem nobis aliquam demonstrare possit?* commemoraverunt, facile demonstrari potest eo loco rectissume legi id, quod in libris est *leniorem.* Non enim iudex loquitur, sed hoc M. Tullius ab altera parte profert, ut hoc doceret, A. Caecinam tantum abesse ut summo iure contendisse, ut de suo iure aliquid remisisse uideatur. Leniorem enim, id est, remissiorem, mitiorem, minus grauem actionem inueniri non posse: qua quidem in causa *lenis actio* et *leniter agere* rectissume dicitur, conf. or. *pro M. Caelio* 3, 7. *Tecum, Atratine, agam lenius, quod et pudor tuus moderatur orationi meae et meum erga te parentemque tuum beneficium tueri debeo.* et 14, 33. *Sed tamen ex ipsa quaeram prius utrum me secum seuere et grauiter et prisce agere malit an remisse et leniter et urbane.* et or. *Philippicae* V. 12, 34. *Si autem lenius agetis, tamen eadem, sed fortasse serius decernetis.*, quo quidem in loco Cicero ipse, ut seuerius in M. Antonium decernerent, patres conscriptos hortatus erat. Hinc facile intellegitur, ut superiore loco §. 8. recte dicatur leuior actio, sic altero loco §. 9.

recte dici leniorem actionem, qua de re etiam summa librorum consensio est. Codex enim palimpsestus Taurinensis LAENIOREM, qua scriptura maius etiam discrimen inter voces *leuiorem* et *leniorem* efficitur, in illo quidem loco scriptum habet, codices Tegernseensis, Erfurtensis, Vaticanus cum magno numero deteriorum librorum *leniorem*, ut pauci tantum modo deterioris familiae libri scripturam *leuiorem* tueantur. Quod autem Car. Ad. Iordanus contra meam rationem, quam in priore mea editione secutus eram, et contra ea, quae disputaveram in praef. p. Xsq., quae etiam Kellerum, quem uide l. c. p. 441., mouisse uidentur, p. 155 sqq. hoc contendit, utroque loco eandem uocem recipiendam uideri, in eo mihi vir doctissumus uidetur falli. In altero enim loco iudicis aut recuperatoris vocem eius audimus, qui quodam modo patrocinari uolt Sex. Aebutio, in altero M. Tullius ita loquitur ut quod pro A. Caecina faciat proponere studeat. Summo igitur iure in altero loco *leuiore* scriptum in libris est, in altero *leniorem*, eodemque iure inter leuiorem actionem et inter leniorem statui discrimen potuit, quo in illo Ciceronis *de officiis* loco, quo ipse Iordanus usus est, I. 24, 82. *leuiter* et *leniter* inter se respondent in uerbis his: *quapropter in adeundis periculis consuetudo imitanda medicorum est, qui leuiter aegrotantes leniter curant, grauioribus autem morbis periculosas curationes et ancipites adhibere coguntur.* Huc adde Catulli carm. LXXXIIII. 7 sq., ubi utraque vox suam vim servat in verbis his: *Audibant eadem haec leniter et leuiter.*

C. IIII. §. 10. haec uerba in libris leguntur omnibus: *Et si forte uidebor altius initium rei demonstrandae petisse, quam me ratio iuris et ius, de quo iudicium est, et natura causae coëgerit, quaeso ut ignoscatis.* Orellius in editione maiore de Petri Fabri coniectura pro *ratio iuris et ius* ediderat *ratio iuris eius*, eiusque rationem, quam ego repudiandam esse semper censui, Baiterus nuper et Kayserus secuti sunt. Summa, opinor, iniuria. Nam haec tria, quae hoc loco commemorantur, rectissume inter se componi et mihi ipsi demonstrauisse uidebar in priore editione mea praef. p. XI. et Orellio, qui in posteriore editione sua me secutus est. Et ratio quidem iuris potius per se ponenda erat, non referenda ad singulare hoc ius, de quo nunc agitur, conf. infra 19, 56. *At uero ratio iuris interdictique uis et praetorum uoluntas et hominum prudentium consilium et auctoritas respuat hanc defensionem et pro nihilo putet.* 20 57. *Non enim alia causa est aequitatis in uno seruo et in pluribus, non alia ratio iuris in hoc genere dum taxat, utrum me* etc. 27, 78. *qui iuris ciuilis rationem numquam*

ab aequitate seiunxerit. 32, 93. *Ecquid te ratio iuris, ecquid interdictorum dissimilitudo, ecquid auctoritas maiorum commouet?* eodemque modo etiam *ratio interdicti* dicitur 36, 104. tum reliqua quoque verba eius modi sunt, ut separatis illis verbis facile locum suum tueantur. Sed molestum est in eadem causa bis suis uerbis orare, itaque ponam hic nihil aliud, nisi quod Kellerus intellegentissumus idem et seuerissumus harum rerum iudex de hoc loco pronuntiauit in *Semestrium* uol. I. p. 442. adn. 27.: 'Recte,' inquit, 'Klotzius et in altera recensione Orellius uulgarem Codicum lectionem illam (*et ius*) restituerunt, quae nihil habere uidetur inepti neque foede superflui, quod coniecturae locum facere potuerit. Nam uerissume Klotzius (in Praef. p. XI. et in Adnotatione ad h. l.) monuit, tribus illis uerbis etiam res satis distinctas tres significari, uidelicet *ius commune, ius Caecinae* et *causam, quae agitur,* interdicto, formula, defensionibus litigatorum constitutam circumscriptamque.'

C. U. §. 14. nuper Baiterus scripsit: *Quis igitur? Ille, quem supra deformaui: uoluntarius amicus mulieris* etc. itaque sane in plerisque libris ea uerba scripta sunt. Sed quum codex palimpsestus Taurinensis totidem litteris scriptum offerret: *Quis igitur? Ille, ille, quem supra deformaui* etc., hanc scripturam ego iam superiore tempore recipiendam esse existumaui mihique omnes critici excepto quem modo dixi Baitero adsensi sunt Facile enim in continua scriptione alterum *ille* excidere potuisse apparet, ut ceterorum librorum auctoritas hac quidem in re non multum valere uideatur, repetitionem autem pronominis ad hunc locum aptissumam esse, ubi non sine maiore ui illius persona effertur, qui hic notatur atque perstringitur, pluribus exemplis et ego olim ostendi et docuit Car. Ad. Iordanus ad h. l. p. 168 sq.

C. UIII. §. 22. volgo haec uerba leguntur in libris et manu scriptis et formis litterarum descriptis: *eodem tempore se in fugam conferunt una amici aduocatique eius metu perterriti, quem ad modum illorum testem dicere audistis* His in uerbis olim Io. Aug. Ernesti offensus erat, qui subtili quo erat iudicio sensit *eodem tempore* et *una* in eodem hoc enuntiato non satis recte locum habere. '*Una,*' inquit, 'redundat, quia ante est *eodem tempore*, quod ab *una* nihil differt. Ortum uidetur uerbum ex ultuma syllaba uerbi antecedentis.' Hoc recte iudicatum esse non solum inde intellegitur, quod in codice Erfurtensi legitur *conferunt una meieci*, quod eo natum esse, quod librarius *ameici (ameicei)* in libro suo inuenerat, recte dixit M. Hauptius in *Obseruationibus criticis* p. 42., uerum

etiam magis eo conuincitur, quod in codice Tegernseensi scriptum est *confer una meieci,* qua re plane efficitur in codice archetypo fuisse olim CONFERUNAMEICEI. Quis igitur iam dubitabit quin molesta uox *una* delenda sit?

C. IX. §. 25. in editionibus nunc hoc legitur: *de se autem hoc praedicat, Antiocho Aebutii seruo inperasse, ut in Caecinam aduenientem cum ferro inuaderet,* nec per se haec scriptura falsa est: sed quum in codice Tegernseensi pro *seruo inperasse* legatur *seruos inpetrasse*, credo ego uerum uidisse Kayserum, qui inde effecit: *seruo se inperasse.*

C. X. §. 27. nuper Baiterus Ciceronis locum sic constituit: *A. Atilius et eius filius L. Atilius et armatos ibi fuisse et se suos seruos adduxisse dixerunt; etiam hoc amplius: cum Aebutius Caecinae malum minaretur, hoc est, mortem minaretur, ibi tum Caecinam postulasse, ut moribus deductio fieret. Hoc idem P. Rutilius dixit, et eo libentius dixit, ut aliquo in iudicio eius testimonio creditum putaretur,* eumque etiam Kayserus secutus est, nisi quod uerba: *hoc est mortem minaretur,* uncis circumdedit. Plura sunt in hoc loco, in quibus ego ab hominibus doctissumis dissentio. Ac primum quidem in omnibus libris praeter codicem Tegernseensem legitur *et se suos armatos adduxisse*, is autem liber habet *et se suos seruos adduxisse.* Facile intellegitur, ubi uim armatam fuisse quispiam contendit, ibi *armatos adductos esse* dici consentaneum esse, itaque hoc uerbum *armatos* eo minus uidetur delendum fuisse, quod, etiam si cod. Tegernseensis optumus testis uerae scripturae in multis locis iure habetur, tamen aliquotiens etiam eius modi uerba omittit, quae sine sententiae detrimento abesse non possunt. Quod quum ita sit, credo ego propter ὁμοιοτέλευτα *suos seruos armatos* extremam istam uocem in illo codice oblitteratam esse. Quod autem idem ille liber non *suos* scriptum habet, sed *suos seruos*, id ego accipiendum sine ulla dubitatione existumo. Nam quam facile post *suos* omitti potuerit *seruos*, praesertim si id uerbum per compendium *s̄uos* erat scriptum, non est quod dicam. Compendio autem eius modi id uerbum scriptum fuisse in Ciceronis libris eo intellegitur, quod in *Accusationis* lib. III. 98, 227., ubi *suorum fructuum* sine dubio uerum est, *seruorum fructuum* in optumo codice Lagomarsiniano 42 legitur. Quae quum ita sint, non dubito quin uera huius loci scriptura haec sit: *et se suos seruos armatos adduxisse dixerunt,* conferantur quae infra 10, 30. leguntur uerba: *quum subito — — suos solos seruos armatos fuisse dixit.* Alterum, in quo mihi iidem illi critici non satis fecerunt, hoc est, quod uterque uerba: *hoc est, mortem*

minaretur, suppositicia esse significauit—qua de re conferas Baiterum in Addendis p. 1438 —, quae uerba non solum ab optumorum librorum auctoritate defenduntur, uerum etiam ad ipsam huius loci sententiam, si non necessaria, at certe aptissuma esse uidentur, qua de re rectiore iudicio usus est Iordanus quam Kellerus, quamquam ne cum Iordano quidem in eo consentio, quod rem ad liquidum perduci posse negauit. 'Sic,' inquit, 'statuendum arbitramur, numquam hanc quaestionem ita ad liquidum confessumque deduci posse, ut nulla alienae interpretationis restet dubitatio, sed satis esse demonstrare haec uerba neque tam incertae auctoritatis nec tam inepta aut superuacanea esse, ut a Cicerone abiudicari debeant.' Nam qui artem criticam recte factitat, is facile intelleget nihil esse causae, quam ob rem quisquam de his uerbis dubitare posse uideatur. Ac primum quidem, quum librorum auctoritatem ponderamus, dubitari non potest quin uerba a Cicerone potius quam a glossatore profecta sint. Haec enim uerba non solum codices Tegernseensis atque Erfurtensis tuentur, uerum ad horum librorum in eius modi rebus summam auctoritatem accedunt etiam plures libri deterioris familiae, uerbi causa, codices Geneuensis, Vindobonensis I., Monacensis II., Parisinus K., ut ea uerba etiam in secundae familiae codice archetypo fuisse et tantum modo in aliquo codice excidisse propter ὁμοιοτέλευτον uideantur, ex quo illi eius familiae codices exscripti esse uidentur, qui illa uerba non habent, eoque minus tribui huic leui deteriorum codicum testimonio poterit, quod in simili exitu uerborum saepissume uerba quum in ceteris ueterum scriptorum libris tum in hac ipsa oratione omissa sunt, ueluti 8, 23. *Restituisse se dixit: sponsio facta est. Hac de sponsione uobis iudicandum est* quo in loco quod oculi scriptoris codicis archetypi a uerbo *sponsio* ad uerbum *sponsione* aberrauerunt, haec uerba: *sponsio facta est hac de* in omnibus Ciceronis libris omissa sunt, reuocata illa ex Quinctiliani *inst. or.* lib. IV. 2, 132. ac, ne longius abeam, quod modo in omnibus libris factum esse dixi, id in hoc ipso loco in codice Tegernseensi factum est, cuius scriptor in uerbis: *Hoc idem P. Rutilius dixit, et eo lubentius dixit, ut* etc. a priore *dixit* ad alterum, quod posterius est, oculis aberrauit atque uerba, quae in medio erant, *et eo lubentius dixit* omisit. Sed de re plana atque aperta pluribus uerbis dicere operae pretium non est. Etenim qui recte testimoniorum fidem auctoritatemque ponderare didicit, non dubitabit quin multo maiore probabilitate hoc statuatur illa uerba a M. Tullio profecta quam e glossemate orta esse, modo

sententia, quae hoc loco requiritur, ea uerba recipiat. Ea uero non solum recipit haec uerba, sed ita etiam conparata est, ut maxumo opere adiuvetur adiecta illa uoce, quae est leui quorundam librorum testimonio in dubium vocata. Quom enim Cicero in tota hac oratione hoc contendat, summum uitae periculum a Sex. Aebutio A. Caecinae adlatum esse, etsi per se uerba: *quom Aebutius Caecinae malum minaretur*, hoc ipsum indicant, aliquam iniuriam in personam Caecinae exspectandam ab Aebutio fuisse, tamen maxume haec suspitio ita adiuuatur, si adiunguntur haec quae in optumis libris habentur uerba: *hoc est, mortem minaretur,* quoniam sic media illa uox *malum*, qua minor etiam iniuria in aliis locis significatur, exaggeratur atque ad summam iniuriam protrahitur, id quod rectissume iam Iordanus intellexit, qui addita illa explicatione orationem multo efficaciorem ac grauiorem esse pronuntiauit. Quod quamquam apparet rectissume esse dictum, tamen, quoniam fuit qui hanc orationis formam, qua Cicero aut exaggerare solet aliquid aut explicatius iis, qui audiunt, uult proponere, parum usitatum esse dixit, conferantur huius ipsius orationis 8, 19 *Quid? istius ille fundus est, quem sine ulla controuersia quadriennium, hoc est, ex quo tempore fundus veniit, possedit Caesennia?* 20, 57. *quasi quidam paene dominus, hoc est, alieni iuris uicarius.* 26, 47. *Fundus a patre relinqui potest: at usucapio fundi, hoc est, finis sollicitudinis ac periculi litium, non a patre relinquitur, sed a legibus.* 28, 80. *Praetor, inquit, interdixit, ut, unde deiectus esset, eo restitueretur, hoc est, quicumque is locus esset, unde deiectus esset.* 34, 100. *Exsilium enim non supplicium est, sed perfugium portusque supplicii: nam quia uolunt aliquam poenam subterfugere aut calamitatem, eo solum uertunt, hoc est, sedem ac locum mutant.* Quum igitur Cicero in hac ipsa oratione illa orationis forma aliquotiens usus sit, quid poterit offensionis habere, quod hoc quoque loco idem facit? Itaque is, qui recte artem criticam exercet, non dubitabit quin iniuria illa uerba in interpolationis suspitionem uocata sint. Tertium illud, de quo cum nouissumis huius orationis editoribus dissentio, positum est in uerbis: *et eo lubentius dixit, ut aliquo in iudicio eius testimonio creditum putaretur.* Fateor mihi semper illam uocem *aliquo in iudicio* offensioni fuisse. Quid enim opus fuit *aliquo* adiungi? *in iudicio* et per se recte stat et est usitatissuma locutio. Nunc postquam cognoui in codice Tegernseensi non hoc scriptum esse *aliquo in iudicio*, sed *aliquando in iudicio,* non dubito quin haec scriptura recipienda sit, qua egregie indicatur saepius iam in iudiciis Aebutii testimonio creditum non fuisse, eumque tempus sci-

licet cupide exspectauisse quo ipsius testimonio tandem aliquando in iudicio creditum putaretur. Facile autem explicari potest quem ad modum factum sit, ut *aliquando in iudicio* in *aliquo in iudicio* mutaretur. Sine dubio enim hic quoque, ut multis aliis locis hoc idem agnoscitur, codex archetypus conpendium habuit atque in eo scriptum erat *ut aliq̄n in iudicio.* Mihi igitur Baiterus et Kayserus hanc quoque scripturam recipere debuisse uidentur.

C. XI. §. 32. nunc in omnibus libris Ciceronis formis descriptis haec uerba leguntur: *Posterius de uerbo uidebimus: nunc rem ipsam ponamus, quam illi non negant, et eius rei ius actionemque quaeramus. Est haec res posita, quae ab aduersario non negatur, Caecinam — pulsum prohibitumque esse ui coactis hominibus et armatis.* neque, quantum scio, quisquam in his uerbis haesitauit. Uerum tamen duabus de causis de huius loci scriptura vehementer dubito. Primum uerba *uidebimus* et *ponamus* non satis recte inter se opponi hoc loco mihi uidentur. Exspectes pro *ponamus* potius *consideremus, examinemus* aut aliquid eius modi. Non minus offensioni est, quod, quum modo dixisset orator: *nunc rem ipsam ponamus,* statim perrexit: *Est haec res posita,* quamquam ipse id, quod ponere uoluisse uidetur, nondum posuerat. Quod quum ita sit, percommode accidit, quod e codice Tegernseensi alia scriptura enotata est, quae quamquam ipsa uera esse non potest, tamen ad id propius accedit, quod ego hoc loco modo desideraui. Legitur enim in eo libro *poterimus* pro *ponamus.* Hinc facile concludi potest in codice archetypo fuisse PŌDEREMUS aut *pōderemus* scriptum, atque haec uerba ex illius codicis optumi testimonio iam sic fuisse constituenda: *Posterius de uerbo uidebimus: nunc rem ipsam ponderemus, quam illi non negant, et eius rei ius actionemque quaeramus. Est haec res posita* etc. *ponderare* translatiue a M. Tullio saepe numero usurpari notum est, quam ob rem unum eius rei exemplum apponam, ubi simplex uerbum *ponderare* non addito ablatiuo aut alio mensurae adiumento eodem modo a Cicerone positum est, *Disputationum Tusculanarum* lib. V. 25, 72. *ex qua (disserendi ratione et scientia) quum summa utilitas exsistit ad res ponderandas tum maxume ingenua delectatio et digna sapientia.*

Uenio iam ad locum perdifficilem et uarie temptatum, sed tamen eius modi, ut mihi satis commode constitui posse uideatur, quamquam ingenue profiteor a me quoque, ut fere a ceteris omnibus criticis, hunc locum olim non satis recte esse intellectum. Legitur is c. XII. §. 35. Ac ne in re, quae breuitatem orationis desiderat, longior sim, iam ponam Ciceronis uerba,

quem ad modum nunc mihi e Petri Fabri coniectura constituenda esse uideantur: *Quoniam ita dicis et ita constituis: 'Si Caecina, quum in fundo esset, inde deiectus esset, tum per hoc interdictum eum restitui oportuisse: nunc uero deiectum nullo modo esse inde, ubi non fuerit: hoc interdicto nihil nos adsecutos esse,' quaero, si te hodie domum tuam redeuntem coacti homines et armati non modo limine tectoque aedium tuarum, sed primo aditu uestibuloque prohibuerint, quid acturus sis. Monet amicus meus te L. Calpurnius, ut idem dicas, quod ipse antea dixit: 'Iniuriarum.' Quid ad causam possessionis, quid ad restituendum eum, quem oportet restitui, quid denique ad ius ciuile aut ad praetoris notionem atque animaduersionem ages iniuriarum? Plus tibi ego largiar: non solum egeris, uerum etiam condemnaris licet: numquid magis possidebis? actio enim iniuriarum non ius possessionis adsequitur, sed dolorem imminutae libertatis iudicio poenaque mitigat.* In his uerbis, ut omittam res minores, quarum in hac causa momentum nullum est, ego de P. Fabri coniectura scripsi *aut ad praetoris* pro *aut ad actoris* et facile mihi uideor hoc docere posse, hanc scripturam neque ab iis, quae in libris habentur, testimoniis magno opere abhorrere et sententiae, quam hic locus postulat, accommodatissumam esse. Ac sine dubio haec P. Fabri coniectura iam pridem ab omnibus criticis comprobata esset, nisi errore, credo, librarii interpunctio ab hoc loco aliena in P. Fabri commentarium esset illata. Attulerunt enim uulgo P. Fabri scripturam hanc: *quid denique ad ius ciuile aut ad praetoris notionem atque animaduersionem? ages iniuriarum,* quod non dubito quin ipse sic scribi uoluerit. *Quid denique — — ad praetoris notionem atque animaduersionem ages iniuriarum?* Utut hoc est, ego illam, quam supra posui, uerborum interpunctionem obtinendam esse censeo, si sententiam loci constare uelimus. Sed, ut uia procedat disputatio nostra, primum ordiar ab librorum testimonio in uerbis illis, quae potissumum in controuersiam uocata sunt. Ea uerba sic scripta leguntur in codice Tegernseensi: *quid denique ad ius ciuile aut actoris notionem atque animaduersionem ages iniuriarum*, a cuius libri scriptura cod. Erfurtensis et ceteri fere libri tantum in eo discedunt, quod scriptum habent *aut ad actoris* et deinceps *aies* pro *ages*. Si sequimur codicem Tegernseensem, ut ueriorem scripturam *ages* pro *aies* facile agnoscemus, ita agnoscemus etiam maiorem eius fidem in altera scriptura *aut actoris*. Nam ne *aut ad actoris* quidem, quod in ceteris libris legitur, uerum esse, in eo omnes consentiunt. Quod autem in illo codice est *aut actoris*, id ad uerum facilius ducit, quam ceterorum librorum scriptura. Sine dubio

enim olim per conpendium scripta erant haec uerba fere in hunc modum *aut ad p̄toris*, id quod legendum erat *aut ad praetoris*, sed falso legebatur ita *aut actoris*, quod summa fide scriptor codicis Tegernseensis propagauit, quum ceteri librarii pro eo *aut ad actoris* scriberent. Facillumam autem hanc mutationem esse, quam P. Faber primus proposuit, nemo poterit negare. Quaeramus nunc utrum sententia, quae his uerbis subiecta est, huic loco conueniat necne. Et de hac quidem re permirum est nos omnes tam diu dubitare potuisse. Nam M. Tullius ipse et in iis, quae supra dicuntur, et in illis, quae infra leguntur, tam aperte demonstrat uix aliam scripturam hic obtineri posse et haec ipsa uerba, de quibus controuersia est, ita conparata sunt, ut hanc emendationem non solum recipere, uerum etiam flagitare uideantur. Res sic se habet. A. Caecina, quum de fundo, quem suum esse contendit, a Sex. Aebutio deiectus esset, ad praetorem P. Dolabellam confugerat ab eoque interdictum de ui armata inpetrauerat. Hanc actionem seueriorem et grauiorem dixerat aduersarius, sed M. Cicero A. Caecinae nomine negat se leniorem ac remissiorem actionem ullam habere, qua ius suum persequantur, aduersarium autem hoc sibi uelle, ut A. Caecina omnino lege agere non possit. Itaque §. 34. eum sic loquentem facit: *Feci equidem quas dicis omnia, et ea sunt et turbulenta et temeraria et periculosa. Quid ergo? Inpune feci: nam quod agas mecum ex iure ciuili ac praetorio non habes.* Negat igitur adversarius, ut Cicero opinatur aut opinari se dicit, A. Caecinam neque ex iure ciuili, id est, e legibus, plebiscitis, senatus consultis, neque ex iure praetorio, id est, ex eo iure, quod praetores introduxerunt adiuuandi vel supplendi vel corrigendi iuris ciuilis gratia propter utilitatem publicam (uide *Digest.* I. 1, 7.), quidquam agere posse, iniuriarum iubet A. Caecinam agere, qua actione causa a praetore auferretur et ad quaestionem publicam transferretur, ut uindicaretur quidem illa iniuria, sed possessio ipsa omitteretur. Quod quam inutile sit ut doceat, Cicero iam a C. Pisone, qui Sex. Aebutii rem agebat, quaerit, quid acturus sit, si eum hodie domum suam redeuntem coacti homines et armati prohibuerint, significatque L. Calpurnio auctore ei dicendum esse se iniuriarum acturum esse. Hoc posito Cicero iam sic interrogat: *Quid ad causam possessionis, quid ad restituendum eum, quem oportet restitui, quid denique ad ius ciuile aut ad praetoris notionem atque animaduersionem ages iniuriarum?* Quibus uerbis hoc vult declarare, inutilem omnino iniuriarum actionem fore, si ille possessionis causa velit lege agere, neque restitutum iri eum, quem oporteat

restitui, neque ius ciuile et praetorium ei opitulaturum esse, sed tantum modo iniuriam ab aduersario illatam vindicatum iri. Sic igitur, quae hoc loco Cicero dicit, egregie conueniunt cum iis, quae antea de iure ciuili et praetorio significauerat, eodemque modo etiam ex iis, quae infra dicuntur, apparet haec uerba, de quibus controuersia est, necessario ad ius ciuile et praetorium referenda esse. Nam postquam dixerat, etiamsi aduersarius iniuriarum condemnaretur, tamen eo L. Pisonem in possessionem non restitui, iam rursus sic pergit: *Praetor interea, Piso, tanta de re tacebit? quem ad modum te restituat in aedes tuas non habebit?* Tacebit autem praetor, quoniam iniuriarum actio ad eum non pertinebat, sed lege Cornelia *de iniuriis* anno p. u. c. 604. ad quaestiones publicas translata erat, qua de re uide Guilelmi Reinii *Das Criminalrecht der Römer* p. 370 sqq. Uidemus et iis, quae supra dicta sunt, et iis, quae infra dicuntur, probari ac plane effici uerba sic scribenda esse: *quid denique ad ius ciuile aut ad praetoris notionem atque animaduersionem ages iniuriarum?* Restat ut demonstremus etiam illa uerba ipsa sic dicta esse, ut sine dubio ad praetorem pertineant. Illud iam supra dixi, ad ius ciuile ius praetorium quasi iustum quoddam supplementum accessisse, itaque etiam hic dici potuisse: *quid denique ad ius ciuile aut ad ius praetorium ages iniuriarum?* Ac profecto, si Cicero hoc dixisset, nemo de horum uerborum ui ac significatione dubitauisset, sed maluit ut orator hoc loco non tam ius praetorium quam praetoris iuris dictionem atque operam describere, itaque pro eo dixit *aut ad praetoris notionem atque animaduersionem.* N o t i o n e m autem et a n i m a d u e r s i o n e m quum ceterorum magistratuum tum praetoris fuisse propriam iam P. Faber egregie multis locis adlatis docuit. Et notionem et cognitionem praetoris fuisse hi loci satis testantur, *Digest.* L. 17, 105. *ubicumque causae cognitio est, ibi praetor desideratur.* Ibid. XLII. 6, 1. §. 14. *De his autem omnibus utrum admittenda separatio sit necne, praetoris erit uel praesidis notio, nullius alterius, hoc est eius, qui separationem indulturus est.* *N o t i o n e m* autem cognitionem esse eam, e qua iuris dictio proficiscatur, docemur *Digest.* XLII. 1, 5. pr. *Ait praetor:* **Cuius de ea re iuris dictio est,** *melius dixisset:* **Cuius de ea re notio est.**, ut taceam de iis locis ubi ab ipso Cicerone censoris n o t i o atque i u d i c i u m consociantur, veluti *pro P. Sestio* 25, 55. *de prouinc. cons.* 19, 46. *in L. Pis.* 5, 10. *de offic.* III. 31, 111. Praeter notionem etiam animaduersio praetoris maxume erat propria, conf. *Digest.* XL. 10, 15. §. 25. *Ait praetor:* **Si quis aduersus ea fecerit, prout quaeque res erit, animad-**

uertam. *Digest.* XI. 5, 1. *Praetor ait:* — **In eum, qui aleae ludendae causa uim intulerit, uti quaeque res erit, animaduertam.** *Digest.* IIII. 4, 1. §. 1. *Praetor edicit:* **Quod cum minore quam uiginti quinque annorum natu gestum esse dicetur, uti quaeque res erit, animaduertam.** Quae quum ita sint, illa uerba, quae sic constituenda atque interpungenda esse censui: *Quid ad causam possessionis, quid ad restituendum eum, quem oportet restitui, quid denique ad ius ciuile aut ad praetoris notionem atque animaduersionem ages iniuriarum?* hoc fere sibi volunt: 'Cur ad possessionem retinendam, cur ad eum, qui se de fundo suo deiectum esse queritur, restituendum, cur denique, ut ius ciuile atque praetoris iuris dictio tibi opituletur, actionem iniuriarum intendes?' Nam ea re illud, quod uoles, non adsequere, id quod et Cicero quam ob rem recte statuatur deinceps ipse explicat et docemur *Digest.* XLVII. 10, 7. §. 1. *at in actione iniuriarum de ipsa caede uel ueneno agitur, ut uindicetur, non ut damnum sarciatur.* cl. ib. 15. §. 46.

Semisaeculares honores suos hoc anno gratulatus est Ordo Philosophorum
Viris clarissimis atque optime meritis

GEORGIO PHILIPPO EBERHARDO WAGNER
conrectori gymnasii Dresdensis ad aedem Stae Crucis nuper insigni cum laude emerito,

CAROLO AUGUSTO RUEDIGER
rectori quondam Gymnasii Freibergensis meritissimo, nunc in otio litterato Dresdae uiuenti,

HENRICO FERDINANDO THEAENO FIEDLER
nuper uerbi diuini apud Mohornenses ministro summa cum laude emerito,

EDUARDO GUILELMO LOEHN
nuper uerbi diuini apud Hohnsteinenses Stolpianos ministro, nunc maxima cum laude emerito.

Honoris causa philosophiae doctores ac liberalium artium magistri creati hoc anno sunt in celebrando die mensis Octobris XIX, quo die ante centum annos Ioannes Wolfgangus Goethe in tabulas Uniuersitatis Lipsiensis relatus est,

uir splendidissimus
GUSTAUUS WOLDEMAR LIBER BARO DE BIEDERMANN
regi Saxoniae in aerario procurando consiliarius, uiarum ferratarum regni Saxonici occidentalium administrandarum promagister, ordinis regii Saxonici uirtute ac fide bene meritorum eques cet.
et
uir excellentissimus
SALOMON HIRZEL
ciuis Turicensis, librarius Lipsiensis cet.

Enarrandae iam sunt uitae eorum, qui rogatu suo hoc anno explorata ac probata dignitate summos Ordinis nostri honores inpetrauerunt.

Sunt autem hi:

AUGUSTUS FRIDERICUS GUILELMUS HENRICUS JANKE

natus d. XIIII. mens. Iul. a. h. s. XXIII. Coeslini, mox cum patre, qui publico munere fungebatur, Berolinum migrauit ibique primum in schola elementari, post in Gymnasio Friderico-Guilelmiano eruditus, anno XXXVI. Portam in scholam regiam receptus est. A. XLIII. inde Lipsiam se contulit, ut studium iuris et rerum, quae dicuntur, cameralium coleret magistris L. von der Pfordten, Albrechtio, Marezollio, Hanssenio, Haenelio, Wachsmuthio, Wuttkio. Tribus peractis semestribus Berolinum profectus praeceptores ibi habuit Gneistium, Heidemannum, H. Rosium, Rankium, Ritterum. A. XLVI. primum examen iuridicum absoluit atque cameralis iudicii factus auditor iuris forensis studia Berolini peregit. A. XLVIII. secundo examine iuridico superato auctore Gepperto iure consulto eloquentiae forensi et disputationibus operam dedit, deinde ad iudicium regium, quod est in arce Carolinae, missus iudicis uicibus functus est, mense autem Aprili a. XLIX. cameram regiam adiit et iuris forensis et ciuilis et criminalis negotia gessit. His rebus peractis tertium examen iuridicum superauit a. LI. Postea inde ab anno LI. usque ad annum LVI. in magno iudicio Berolinensi iudicis munere functus est. Iam in Silesiam missus et a. LVII. iudex publicus creatus primum in ciuitate Wohlau, deinde in ciuitate Namslau praetoris officia suscepit, quo in munere fungendo etiam nunc uersatur. Interea diligentissime litterarum studia colere non desiit atque inde ab anno LVI. quattuor libros quum de iuris disciplina tum de re publica administranda atque de agri cultura iuuanda conscripsit.

HENRICUS ALEXANDER TOMEI

d. XI. mens. Maii a. XLV. Uindobonae natus et aliquamdiu educatus est. Postea Lipsiam uenit et principio in schola ciuica prima, deinde in schola reali eruditus est. Inde ab anno LXII. Lipsiae in uniuersitate litterarum rerum naturalium studio se dicauit, quibus in disciplinis Erdmannus, Poeppigius, Hankelius, Naumannus, Mettenius, Flathe, Hirzelius, Treitschke praeceptores eius fuerunt.

MAXIMILIANUS HERMANNUS RACHEL

Dresdae d. XXVI. mens. Nou. a. XLIII. natus patre Iulio Guilelmo Rachel iure consulto, prima litterarum elementa a Boettchero inde ab anno L. didicit, a. LIIII.

in Krausii disciplinam transiit et examine maturitatis in schola, quae est ad aedem Stae Crucis, superato Lipsiam se contulit, ut philologiae operam daret, in quo studio colendo Drobischium, Nitzschium, Westermannum, me, Curtium, Wenckium, Zillerum, Ecksteinium praeceptores habuit, etiam per biennium exercitationibus priuatis interfuit, quas ego habere soleo. Absolutis studiis et examine superato candidatus muneris scholastici superioris factus est.

IULIUS CAROLUS KUEHN

de uita sua haec ad nos scripsit: 'Ego Iulius Carolus Kuehn natus sum d. XXIIII. mens. Februarii a. MDCCCXL. Dewitzii, uico haud procul a Lipsia sito, patre Ioanne Carolo Kuehn, uerbi diuini interprete, matre Maria Guilelmina e gente Kreiana. A patre elementa litterarum edoctus gymnasium Plauiense per VII. annos frequentaui. Examine facto Lipsiam me contuli, ubi per quattuor annos studio philologiae operam dedi et quum scholis Klotzii, Curtii, Westermanni, Weissii, Zilleri, Zarnckii tum seminarii philologorum regii exercitationibus per biennium interfui. Quibus rebus transactis in examine pro munere scholastico superiore probatus sum.'

ALEXANDER HOFMANN

natus d. III. mens. Ian. a. XLIII. patre Lud. Eduardo Hofmann medicamentario Dresdensi et matre Aemilia e gente Sonntagiana, puer disciplina praeceptoris priuati usus inde ab anno LV. scholae Dresdensi, in qua artes quaestuariae docentur, mandatus est. Inde ab anno LVII. in disciplina patris uersatus, anno post ad Fischerum medicamentarium Coldiciensem se contulit, ut in eius officina disciplinam suam absolueret. A. LX. examen medicamentariis praescriptum subiit et paulo post Aquilegiam in ciuitatem Helueticam profectus, ibi annum et sex menses commoratus, deinceps annum Hammoniae uersatus est. Mense Octobri a. LXIII. Lipsiam se contulit, ut in uniuersitate litterarum scholis quorundam professorum interesset. Tum mense Augusto a. LXIIII. examen publicum, quod ii, qui medicamentariam profitentur artem, subire debent, superauit: ab eo tempore scholas, quibus pilosophia et rerum naturalium scientia traditur, interfuit, id quod animo erga eos, quorum disciplina usus est, gratissimo profitetur.

ARMINIUS FERDINANDUS DE CRIEGERN

natus est d. XXIX. mens. Apr. a. XLI. Laasi in uico prope Strehlam oppidum sito, patre Arminio Georgio de Criegern, qui apud Laasanos munere sacro tum fungebatur, deinde Bornam, mox Geram uocatus, ubi iam Henrico LXII. principi Rutheniae a consiliis ecclesiasticis est, matre Emma Maria e gente Uhde. Pater filiam non solum prima elementa litterarum docuit, sed etiam ad studia humanitatis animum pueri informauit. Deinde Misniam se contulit, ubi rectore Friderico Frankio per lustri spatium litteris Latinis Graecisque operam dedit, quarum litterarum amore se etiam illo tempore ductum esse ait, quum iam Lipsiae in uniuersitate litterarum theologiae studia coleret. Examine, quod theologis subeundum est, feliciter superato munus praeceptoris in tertia huius urbis schola ciuica suscepit, et post biennium a magistratu Lipsiensi municipali electus est, ut ad aedem Sti Petri catechetae munere fungeretur.

ADALBERTUS EDUARDUS BENIAMIN PORTIG

natus Lipsiae d. XVI. mens Ian. a. XLII. ac primis litterarum elementis imbutus scholam Thomanam rectore G. Stallbaumio per VII. annos frequentauit et hoc gymnasium prima censura ornatus reliquit, ut in uniuersitate litterarum Lipsiensi studium theologiae susciperet. Triennio exacto et examine quod dicitur pro candidatura et contionandi uenia absoluto inde a mense Aprili a. LXIIII. in prima schola ciuica Lipsiensi magistri uicibus functus et nuper ad catechetae munus uocatus est.

LUDOUICUS TROST

presbyter catholicus, qui curatia ad aedem Sti Ioannis Nepomucensis Monachii fungitur, natus est Monachii d. XIII. mens. Aprilis a. XXXVII. Annum XI. agens ad litterarum studia aspirauit et Monachii primum per tres annos gymnasium Ludouicianum, postea gymnasium Maximilianeum frequentauit. Gymnasii scholis absolutis in uniuersitatem Monacensem transiit philosophiae studium amplexurus, atque tantum temporis operaeque in eo studio posuit, ut in ephemeridibus quae dicuntur scripta de philosophia nonnulla publici iuris facere auderet. Inde ab anno LVIII. theologiae studio se dedidit quumque Ordo theologorum hanc quaestionem: '*Beurtheilende Darstellung der ethischen Grundsätze Tertullians*', proposuisset, eam disputationem Trostius noster suscepit eiusque libellus diligenter et ingeniose esse scriptus iis, quorum de ea re iudicium erat, uisus est. Usitatis examinibus peractis in lyceo Frisingensi ad presbyteratum se praeparauit. Iam d. XXIX. mens. Iunii a. LXIII. in ordinem presbyterorum receptus, primum in parochiam, quae est in Nouo foro ad Rottam *(Neumarkt a/Rott)*, deinde in parochiam Dachau ab Archiepiscopo Monacensi et Frisingensi missus est, nunc locum Curatus Monachii tenet.

LEOPOLDUS HERZEL

natus Nicolsburgi in Morauia a. XXXIIII., postquam XIII. annos natus patrem morte amisit, peregre abire coactus est, mox autem tanto amore litterarum Latinarum et Graecarum captus est, ut in gymnasio, quod est Eperiis in Hungaria, scholastica studia absolueret et anno huius saeculi LVIII. in uniuersitatem litterarum Uindobonensem transiret, ut philosophiae et linguae Arabicae operam suam nauaret. Exacto triennio in Paedagogium Caesareum Regium ingressus est et finitis studiis paedagogicis munus magistri sacerdotisque in oppido Bisenz in Morauia suscepit.

FRANCISCUS FERDINANDUS LORENZ

natus Marienbergae d. I. mens. Nou. XLIII. patre Friderico Augusto Lorenz, qui tum apud Marienbergenses praeceptor scholae et organista fuit, et matre Thecla Amalia e gente Naumannia. Patre Dresdam ad munus cantoris in aede sacra aulica fungendum uocato scholae, quae ab Anna nomen habet, traditus est, cuius scholae praeceptoribus, inprimis mathematico Iob, se multum debere profitetur. Deinceps Polytechnicum regium Dresdae per annos V. et menses VI. frequentauit, quibus in scholis Huelsse, Schloemilch, Loesche, Fort, Stein, Nagel, Schneider, Schoene, Fleck, Kuschel praeceptores eius fuerunt. Examine legitimo superato mense Octobri a. LXIII. Lipsiam se contulit et hic in disciplinis mathematicis Drobisch, Moebius pater, Scheibner, Hankel filius, in physices studio Hankel

pater, in philosophiae Drobisch, in meteorologiae Bruhns, in historiae disciplinis Wachsmuth, Wuttke, Flathe eius praeceptores fuerunt. Praeterea seminaria Hankelii patris et Scheibneri frequentauit.

ABRAHAMUS RAHMER

natus Rybnicii in Silesia superiore d. V. mens. Ian. XXXIX. patre Simone Rahmer, matre Maria e gente Reichia. Paruulum in schola patria H. Bittig candidatus theologiae euangelicae atque sacris Iudaicis disciplinis et lingua Hebraica L. Karfunkel erudiebant. Tum Gliuicium in gymnasium missus et absolutis secundae classis scholis in seminarium iudaico-theologicum Uratislauiense discessit, quo in seminario praeceptores eius fuerunt Frankel, Graetz, Bernays, Ioel, Zuckermann. Post quadriennium hoc seminarium reliquit et examine quum in iudaico tum in catholico seminario facto Cattouicii munere magistri functus est et orationes homileticas habuit, postea etiam Myslowieii. Deinceps Pragam se contulit, ut studia philosophiae, theologiae Iudaicae, historiae coleret ibique praeceptores eius fuerunt Hoefler, Loewe, Petr, Paddesak, Volkmann, Kaempf, Wessely, Rappoport.

THEOPHILUS NOACK

natus d. XX. mens. Sept. a. XL. in uico Wusterbarth in Pomerania patre Gotthilf Noack, uerbi diuini ministro, et matre Maria e gente Heineckia, primum a patre institutus, deinceps in tertiam classem gymnasii Cussalinensis rectore Adlero receptus est. Post quattuor annos studiis gymnasii absolutis Halas Saxonum se contulit, qua in uniuersitate litterarum per septem semestria philologiae, philosophiae, historiae studium potissimum coluit et Bernhardyi, Bergkii, Pottii, Schadii, Erdmanni, Schalleri, Tholuckii, Duemmleri, Hertzbergii scholis interfuit et per quinque semestria seminarii philologici, per duo seminarii historici sodalis fuit. Tum in schola Friderico-Guilelmiana, quae est Sedini in Pomerania, praeceptor institutus est. Examine Halis mense Octobri a. LXIII. superato mox in gymnasium Cussalinense, quod floret rectore Roedero, uocatus et praeceptor superioris ordinis factus est.

BASILIUS PSYLLACIS

natus Naupliae a. XXXIII., in Gymnasio Naupliensi rectore G. Gennadio eruditus, in uniuersitatem litt. Atheniensem transiit ibique philologiae et philosophiae quadriennium operam dedit, rediit deinceps in patriam, ut scholae praeesset, postea adiutus a uiro clarissimo Demetrio Bernardaki a. LXIII. Lipsiam uenit ut studia sua absolueret.

CAROLUS ARMINIUS ETHÉ

natus Stralesundiae, d. XIII. mens. Febr. a. XLIIII. patre Francisco Ethé geometra, matre Mathilda e gente Lappe puer undecim annorum in gymnasium Stralesundiense deductus est. Hoc in gymnasio circiter octo annos uersatus autumno a. LXII. in uniuersitatem litterarum Gryphiswaldensem se contulit, ut philologiae classicae operam daret. Sed paulo post litterarum orientalium studio deuinctus et rudimentis linguae Arabicae duobus semestribus pertractatis Fleischeri nostri uiri clarissimi fama ductus Lipsiam migrauit, et hic Ahrensii, Krehlii, Tuchii, inprimis Fleischeri et Brockhausii scholis interfuit. Quamquam hoc biennio, quo Lipsiae uersatus est, se ait linguas Sanscriticam, Zendicam,

Persicam, Hebraicam, Arabicam, Syriacam, Turcicam eodem fere amore amplexum esse, tamen in posterum profitetur se potissimum linguae Persicae operam daturum.

CAROLUS OTTO SUESSENGUTH

natus est Ligniciae d. VII. mens. Febr. a. XXXIX. patre Leopoldo Suessenguth, qui in munere iuridico ibi uersabatur, et matre Augusta e gente Seiffertia. Anno LI. in gymnasium, quod Ligniciae est, Academicum receptus et absolutis his studiis anno LVIII. Uratislauiam profectus est, ut rerum naturalium cognitioni operam daret. Praeceptores ei fuerunt Behnsch, Frankenheim, Iunkmann, Loewig, Marbach, Meyer, Roemer, Schwarz, et in exercitationibus quidem chemicis Loewis. A mense Octobri a. LXIII. Berolini adstitit in exercitationibus chemicis Baeyero.

GUSTAUUS THEODORUS KOEHLER

natus a. XLIII. Grimae, ubi pater director seminarii paedagogici de schola ac patria optime meretur. Cognitis primis litterarum elementis Moldano Grimensi traditus est mense Aprili a. LVI., mense uero Octobri a. LXI. Lipsiam uenit, ut theologiae operam daret, sed ceteras, maxime philosophiae, disciplinas non neglexit, praesertim quum se ad docendum quam ad contionandum aptiorem esse arbitraretur.

THEOPHILUS EDUARDUS GUILELMUS BACKE

natus Regiomontii in Borussia die VII. mens. Apr. a. XXXIIII. patre Eduardo Backe, matre Mathilda e gente Goltzia, primis litterarum elementis cognitis gymnasio Fridericiano Regiomontano traditus ibique quinque annos eruditus est, postea in gymnasium Sedinense a tutore suo missus est. A. LIIII. Halas Saxonum se contulit, ut theologiae et philosophiae operam daret. Biennio exacto Regiomontium rediit, ut theologiae studium continuaret, sed quum mox intellegeret se ministerio ecclesiastico minus idoneum fore, medicinae studium amplexus est et per biennium in omnes partes coluit. Tum aduersa fortuna eius index digitus et medius manus dextrae ita laesi sunt, ut ordo medicorum censeret eum minus idoneum ad hanc artem futurum, quod ars chirurgica et obstetricia manum dextram firmam requireret. Itaque hoc studio relicto quum consumpto etiam patrimonio paene de rebus suis desperaret, in animo habuit mercaturam facere, sed mox intellexit sibi ne hoc quidem negotium satis facere. Quam ob rem munus praeceptoris domestici suscepit et tanto studio se paedagogicis disciplinis dicauit, ut examen quod dicitur pro rectoratu facere posset et hoc superato, postquam in schola reali, quae est Graudenzii, praeceptoris munus administrauit, alterum etiam examen subiret, quo facultatem in mediis classibus docendi adeptus est.

BARBUS CONSTANTINESCU

natus est die XXV. mens. Dec. a. XXXVII. Plouesciis, in ciuitate Romaniae, quae uolgo Valachia appellatur, et postquam primis aetatis annis praeceptoribus Graecis usus est, in scholam archiepiscopalem, quae est in urbe Bucaresciorum, datus est, ubi quattuor annos ad theologiae studium se parauit. His studiis absolutis gymnasium Bucaresciense, quod Sti Sabae dicitur, frequentauit. Anno huius saeculi LXI. Lipsiam se contulit, ut theologiae, philosophiae, philologiae operam daret. Hic quinquennio fere absoluto de studiis suis ordini theologorum grauissimo ita rationem reddidit, ut eius diligentia et doctrina in maiorem modum probaretur.

NICOLAUS NITZULESCU

natus die XIX. mens. Sept. a. XXXVII. Bordussanis, in oppido paruo Valachiae, litterarum elementa ab ipso patre Ioanne Nitzulescu presbytero usque ad aetatis annum XIIII. edoctus, in seminarium ecclesiasticum Metropolitanum, quod Bucaresciis est, et annis IIII. interiectis in gymnasium Sti Sabae in eadem urbe receptus est, ubi litteris Latinis et Graecis et Francogallicis artibusque ingenuis operam dedit. Quibus in studiis quum per annos V. uersatus esset, Lipsiam profectus est, ut theologiae studium in uniuersitate litterarum coleret, de quo studio etiam ordini theologorum grauissimo rationem ita reddidit, ut eius diligentia ac doctrina in maiorem modum probaretur.

ALFREDUS BLUEGEL

natus est Mühlhemiae d. VI. mens. Nou. a. XLIII. patre Friderico Bluegel, matre Henrica e gente Eulenbergia. Postquam litterarum elementa didicit, progymnasium patriae ciuitatis frequentauit, deinde Coloniam missus in scholam realem primi ordinis ibique maturitatis testimonium inpetrauit. Deinde mercaturae conplures annos operam nauauit. Tum Heidelbergam se contulit, ut chemiae in uniuersitate litterarum operam nauaret, quo in studio Bunsen, Kirchhoff, Erlenmeyer, Blum, Leonhard eius praeceptores fuerunt. Hinc Tigurum profectus eiusque in eadem disciplina magistri fuerunt, Clausius, Staedeler, Kenngott, Frey, Vischer, Bolleg. Sex mensibus ibi exactis Berolinum migrauit, ut ibi chemiae practicae et theoreticae auspiciis Baeyeri operam daret.

BRUNO KNEISEL

natus est d. XXX. mensis Sept. a. XL. in uico Niemberg prope Halas sito, ubi primis litterarum elementis a magistro ludi uicani, lingua Latina a patre uerbi diuini ministro eruditus est. Annos XI. natus scholae Latinae Halensi traditus est, qua autumno a. LX. relicta constituit in uniuersitate litterarum Halensi theologiae et philologiae studio se dedere. Ac primum quidem theologiae potissimum incubuit, mox ad philosophiae studium se magis applicauit. A. LXIII. Halas reliquit et Berolinum se contulit. Annum ibi studiorum causa uersatus Halas rediit, ut docendi facultatis examen absolueret, quo absoluto mense Aprili a. LXV. collega paedagogii regii Halensis factus est.

IOANNES ROBERTUS ADALBERTUS ROSALSKY

natus d. XIII. mens. Oct. a. XXXV. Gedani, patre Ioanne Theophilo Rosalsky, matre Carolina e gente Wagneria, per septem fere annos domi educatus et eruditus, tum in disciplinam gymnasii Gedanensis traditus est, in quo praeter ipsum rectorem eius gymnasii F. G. Engelbrechtium professores Marquardt, Roeper, Hirsch, Foerstemann eum docuerunt. Quorum hominum doctissimorum uaria ac multiplici doctrina quum ita uti uellet, ut omnes doctrinae partes pari modo peruestigaret, immatura patris optimi morte coactus est, ut studiorum modum exiguis finibus circumscriberet aliisque disciplinis tantummodo perstrictis in Graecorum maxime et Latinorum scripta concluderetur. Coactus enim est inopia, quoniam matrem optimam in sustinenda fratrum sororumque natu minorum cura leuare uoluit, ut omne fere tempus, quo a scholis uacabat, in instituendis pueris consu-

meret. Quo onere tamen tantum afuit ut defetigaretur ut quum tempus uenisset optandi, quam uitae condicionem sequi uellet, omnem uitae cursum in erudiendis pueris conficere constitueret. Hac mente Halas Saxonum migrauit, ut philologiae studium profiteretur, quo in studio ei duces fuerunt Bernhardy, Blanc, Erdmann, Pott, Ross, Bergk, is maxime, Leo, in seminario philologico moderabantur eius exercitationes Bernhardy et Bergk, theologos audiuit Tholuckium et Müllerum. Autumno a. LVIII. Berolinum profectus ibique historicis scholis Hirschii interfuit, litteras privatim tractauit, pueros mercede docuit. Uere a. LX. medici Bernburgensis filium ad studia Academica informare coepit. Duobus annis post factum est, ut idem uir, qui eum per decem annos et consilio et re iuuerat, Fr. Aug. Eckstein, qui tum scholae Latinae Halensis rector erat, iam noster factus est, ei mandaret, ut in illa ipsa schola collegae munus susciperet, quo in munere fungendo etiam nunc uersatur.

IOANNES LISSNER

natus in uico Nixdorf in Bohemia d. X. mens. Dec. a. XXIX. patre Franc. Ios. Lissner agricola, matre Agnete e gente Fischeria, post-puerilem institutionem inde ab a. XLII. gymnasium Litomericense frequentauit, tum a. L. Pragam se contulit, ut philologiae operam nauaret. Ibi G. Curtium, A. Schleicherum, A. Hahnium, postea etiam Hoeflerum et Bippartum audiuit atque optime de se meruisse G. Curtium profitetur. Triennio peracto Budouiciam missus est, ut uicario magistri munere fungeretur. Examinibus pro facultate docendi interea absolutis a. LIII. gymnasii Caes. Reg. Egrensis magister ordinarius factus est.

ISAACUS MAY

Grosszimmernensis ex Hassia Darmstadina, natus d. I. mens. Ian. a. XLII. patre Iosepho May, matre e gente Straussia, addictus est disciplinae Iudaicae. Is ab a. LIX. per plures annos gymnasium Darmstadinum frequentauit, a. LXII. in uniuersitatem litt. Uiadrinam se contulit, ubi praeceptores hos habuit Braniss, Hertz, Roepell, Iunkmann, Neumann, Schmoelders, Schultz, Heidenhayn, Magnus, Bernays, Harow, Cauer, Oginski, Probst.

THEODORUS SCHLEGEL

de uita sua haec fere ad nos scripsit: 'Natus sum Neissae d. XXIX. mens. Sept. a. XLI. parentibus Oscaro Schlegel Silesio et Agnete e gente Raetica Salluzzo. — Primis litterarum elementis inbutus per VIII. annos gymnasia Elisabetanum et Matthianum frequentaui. Mense Aprili a. LXII. universitatem litt. Uiadrinam petii. — Per tria semestria interfui Uratislauiae scholis horum uirorum ill. cel. exp. Roepell, Iunkmann, Braniss, Oginski, Eluenich, Pfeifer, Rückert. Deinde ad Musarum sedem Lipsiensem me contuli et eis historicis potissimum disciplinis, quibus omnem scientiam historiae niti constat, quantum potui operam dedi, duce Henrico Wuttke, uiro illustrissimo, qui qua eximia est benignitate quum in seminarium historicum me recepit tum tot aliis beneuolentiae documentis auxit, uix ut umquam debitas ei referre possim gratias. Neque quae uiri clarissimi Weisse, Curtius, Zarncke, Wachsmuth, Klotz, Pückert et priuatim et publice apud me collocauerunt beneficia ulla umquam obliuio delebit.'

FRIDERICUS BOETTCHER

natus est d. XIII. mens. Febr. a. XLII. Mengerinhusae, in oppido Waldeckiano, patre Philippo, matre Carolina de gente Schluckebieria. Institutus est in gymnasio Corbacensi, unde in universitatem litt. Ienensem se contulit, ut theologiae et philosophiae studium sequeretur. Praeceptores eius fuerunt Rückert, Goettling, Schleicher, Fortlage, Fischer, Nipperdey, M. Schmidt, Schleiden. Post duo semestria Lipsiam uenit et quorum scholis interfuisse dicit, hi sunt Wachsmuth, Weisse, Drobisch, Roscher, Westermann, Brockhaus, Fechner, Hermann, de Treitschke, Brandes, Seydel. Hieme apud suos transacta in uniuersitatem litt. Friburgensem migrauit ibique magistri eius fuerunt de Treitschke et de Weech et Berolini, quo postea uenit, Ranke, Droysen, de Holtzendorff, Lewis.

EDUARDUS LINNEMANN

natus Francofurti ad Moenum d. II. mens. Febr. a. XLI. patre Georgio Linnemanno negotiatore Francofurtano, primum in schola mercatoria litteras tractauit, deinde priuatim institutus mense Octobr. a. LVIII. uniuersitatem litt. Ruperto-Carolinam adiit, ubi chemiae et philosophiae per annos duos operam dedit, tum Gandam in regnum Belgicum se contulit, ut cl. u. A. Kekulé a manu esset eiusque disciplina uteretur. Inde a. LXIII. in scholam polytechnicam Caroliruhensem transiit, ut praeceptori chemiae adsisteret, eodem anno mense Maio Lembergam in Academiam imperialem Galiciae uenit, ut adsistentis munere in laboratorio chemico fungeretur. Ibi primum praeceptor chemiae, mox professor extraordinarius factus est.

AUGUSTUS MAYER

natus Bechthemii patre Alexandro Mayer, matre Esthere e gente Süssenberg a. XLIIII., post disciplinam domesticam in gymnasio Wormatiensi sex annos uersatus in Academiam Caroliruhensem se contulit, ut mathematicis et physicis disciplinis colendis se daret, quibus in disciplinis praeceptores hos habuit Dinger, Clebsch, Eisenlohr, alios. Post annum in laboratorio chemico Weltzieni chemiae deditus fuit et artem herbariam, zoologiam, mineralogiam, astronomiam discere studuit. Sex semestribus ibi confectis Berolini per unum semestre in laboratorio chemico Schneideri fuit. Deinde Lutetiae Parisiorum laboratorium chemicum Wurtzii adiit, sed mox fulmine eruptionis chemicae ita ictus est, ut oculo altero ablato illam officinam relinquere cogeretur. Ualetudine recuperata Kekulé Gandauensis professoris laboratorium frequentauit.

EDUARDUS SCHULTE

natus in oppido Guestphalorum Werl a. XLI. patre Friderico, matre Aemilia e gente Nierstrathia, his praematura morte ereptis apud auiam Halis Guestphalorum educatus inde ab a. LIIII. gymnasium Regium Ioachimicum Berolinense frequentauit. Exeunte a. LX. in uniuersitatem litt. Friderico-Guilelmianam transiit philologiae operam daturus ibique per sex semestria audiuit Boeckhium, Droysenum, Hauptium, Hübnerum, Kiepertum, Mommsenum, Müllenhoffium, Rankium, Trendelenburgium. Boeckhii Hauptiique in philologia, Trendelenburgii in philosophia, Droyseni in historia institutis exercitationibus interfuit.

RICHARDUS SCHEPKY

natus in uico Floriansdorf prope Suidniciam in Silesia d. X. mens. Aug. a. XXXVI. patre Benjamine Schepky, matre Augusta e gente Iahria. Post institutionem domesticam scholam realem Uratislauiensem frequentauit. Inde uniuersitatem litt. Uiadrinam petiit, ut chemiae operam daret, ibique per septem semestria Behnsch, Braniss, Cohn, Duflos, Galle, Goeppert, Groeger, Koerber, Landolt, Loewig, Marbach, Oginski, Pfeifer, Schroetter eius praeceptores fuerunt. Inde Berolinum se contulit, ut in Academia polytechnica directori laboratorii chemici Rammelsberg adsisteret. Interea examen praeceptoris technici in Academia polytechnica Berolinensi absoluit.

CONRADUS ALEXANDER PISTOTHEUS KNOP

natus Stargardii d. I. mens. Febr. a. XXVIII Georgio Knop et Ludouica e gente Simon, primum eruditus in schola reali patriae ciuitatis et in gymnasio Groeningiano, artem medicamentariam didicit Arnswaldii et examine pro munere adiutoris medicamentarii absoluto Berolini in uniuersitate litt. praeceptoribus Mitscherlich, Rose, Schneider, Magnus, Dow, Wiedemann, Berg, Klug ad rerum naturalium cognitionem se dedit et in laboratorio Schneideri in rebus chemicis se exercuit. Publico examine superato Confluentiae officinam medicamentariam habuit, quam a. LXIII. uendidit, ut litteris se penitus restitueret. Inde quinque semestria in laboratorio chemico, cui praeest Baeyer, Berolini uersatus est.

IOANNES HENRICUS BENTHIN

natus Ruempeliae in Holsatia d. XVI. mens. Nou. a. XXXI., primis litterarum elementis in ciuitatibus Bramstedt et Itzehoe imbutus a. XLVIII. scholae polytechnicae Dresdensi traditus est, qua in schola Hülsse, Schloemilch, Loesche, Geinitz, Fort eius doctores fuerunt. A. LI. rebus domesticis suis coactus est studia omittere. Rediit Dresdam a. LX. et cursum absoluit. Hinc Lipsiam uenit ad res naturales et mathematicas et philosophiae disciplinas cognoscendas, quibus in rebus Drobisch, Bruhns, Hankel, Fechner eius praeceptores fuerunt.

FRIDEMANNUS ALFREDUS BIENENGRAEBER

natus est d. XII. mens. Nou. a. XL. in uico Anhaltino, cui nomen est Grimmae, patre uerbi diuini ministro, quocum mox Seruestam migrauit ibique in gymnasio Francisceo institutus est. Postea uero, quam pater Seruesta relicta in uicum Eichholz uocatus est, paedagogio Seruestensi cum Francisceo coniuncto traditus est, sed paucis annis post patrem, cuius memoriam animo gratissimo seruat filius, morte amisit. Hinc XIX annos natus Halas se contulit et theologiae operam dedit magistris Erdmann, Tholuck, Müller, Hupfeld, Beyschlag, Iacoby, Haym, denique Berolinum uenit, ubi praeceptores eius fuerunt Nitzsch maior, Twesten, Hengstenberg, Messner, Benary, Patke, Gosche, Nitzsch minor. Aliquamdiu postea praeceptor domesticus fuit, nunc praeceptor est scholae puellarum apud Bernburgenses.

FRANCISCUS LISSNER

natus in uico Nixdorf d. X. mens. Dec. a. XXIX. patre Franc. Ios. Lissner agricola et Agnete e gente Fischeria, post puerilem institutionem inde ab a. XLII. gymnasium Litomericense frequentauit et absoluto cursu gymnasii iam Pragam abierat,

quum nova lege a. XLVIII. lata nouus gymnasiis cursus adiiceretur, itaque Litomericiam reuertit et a. L. Pragam rediit. Hic philologiae operam dedit auctoribus et praeceptoribus studiorum suorum G. Curtio, cuius summam in se beneuolentiam praedicat, A. Schleichero, A. Hahnio, G. Bipparto. Postea in gymnasio Reginohradensi (Königgrätz) munus praeceptoris uicarii suscepit et publico examine absoluto a. LIIII. ibidem praeceptor gymnasii ordinarius factus est, a. autem LV. Olomucium uocatus gymnasiique magister ordinarius factus est, quo munere, aliquam diu propter aduersam ualetudinem intermisso, etiam nunc fungitur.

ADRIANUS CHRYSOSTOMUS SÉUAUX

natus Parisiis mense Iunio a. XXII., quintum annum agens patre orbatus, post in Seminarium Parisinum receptus est a. XXXII. ibique usque ad annum XL. litteras, maxime Graecas et Latinas, didicit. Postea cum sorore, quae homini Germano nupserat, Monasterium uenit ibique quadriennium et linguam Germanicam didicit et Francogallicam docuit. Morte matris in patriam reuocatus et in patria urbe ipsa et in prouinciis imperii Françogallici instituendis et educandis pueris operam dedit. Idem fecit postea Londinii inde ab a. LII. usque ad a. LV., ubi Anglicas litteras adamauit. Deinde Parisios reuertit et anno post generosam familiam Russicam per omnes partes Italiae comes secutus est cum eademque familia Odessae aliquam diu degit, quo in itinere etiam linguas Italicam et Russicam addidicit, quibus postea etiam Hispanicam et Suecicam, denique Gildemeistero duce Arabicam adiunxit, postquam ab amicis quibusdam Germanicis inuitatus domicilium Bonnae sibi constituit, ubi inde ab a. LIX. in scholis Perryana et Fischeriana praeceptoris munere fungitur.

HENRICUS FRIDERICUS BRASACK

natus Schoenbeckii d. XVI. mens. Dec. a. XLII. paulo post cum patre in oppidum Barby migrauit. Post puerilem institutionem Halas in scholam, qua artes quaestuariae docentur, cum Franckianis institutis consociatam missus est. Ubi hanc disciplinam absoluit in uniuersitatem litt. Halensem transiit, ut cognitioni rerum naturalium et chemiae operam daret, quibus in disciplinis praeceptores eius fuerunt Haintz, Girard, Giebel, de Schlechtendal, Schaller, in primis se Knoblauchio et Siewertio deuinctum esse profitetur, a quibus se in maiorem modum adiutum esse dicit.

IULIUS IOSEPHUS ERNESTUS FRIDERICUS ZIEGLER

natus Francofurti ad Moenum d. XXV. mens. Octobr. a. XL. Amissis praematura morte parentibus, post puerilem institutionem in gymnasio Francofurtano eruditus est, sed quum primum ordinem classis secundae superasset, propter ualetudinem rusticari aliquamdiu coactus est. Hinc rusticarum rerum ac naturalium amore ductus scientiae rerum naturalium se dare constituit et his quidem disciplinis operam suam nauauit Gissae per duo semestria, Berolini per unum semestre, Heidelbergae per tria semestria, Marburgi per semestre unum, Marburgi etiam alterius adsistentis munere in laboratorio Kolbiano functus est.

LUDOUICUS HENRICUS FERDINANDUS MOELLER

natus Binderslebeni d. XVIII. mens. Iun. a. XX. post institutionem puerilem scholam Erfurtensem, tum seminarium ludimagistrorum, quod in eadem ciuitate

est, frequentauit. Examine a. XLII. absoluto Mühlhusam uocatus est et nunc scholae puellarum Mühlhusanae praeceptor ordinarius altioris classis est. Is inde a pueritia tanta cupiditate rerum naturalium cognoscendarum flagrauit, ut, quantum otii nactus erat, id in earum rerum cognitione poneret. Quare factum est, ut non solum ipse in arte herbaria, in zoologia, in mineralogia maximos progressus faceret, sed libris editis et scriptis per ephemeridas uulgatis etiam alios de his rebus docere posset, quibus scriptis ita probatus est ordini nostro, ut summos honores suos in eum conferendos decreuerit.

OSCAR SCHNEIDER

natus d. XVIII. mens. Apr. a. XLI. Loebauiae, qua in ciuitate Lusatiae Saxonicae pater archidiaconi munere fungitur, primum in schola publica eruditus, mox patris disciplina domestica institutus gymnasium Budissinum frequentauit et a. LX. Lipsiam uenit, ut theologiae operam daret, praeterea artem musicam coleret, tum quantum temporis alia studia ei concederent in rerum naturalium cognitione collocaret. A. LXIIII. examine theologorum absoluto in terra Salisburgensi uersatus praeceptor duorum puerorum domesticus rerum naturalium studium, maxime geologiae, in maiorem modum recoluit, ut dissertatione de his rebus scripta ordini nostro se commendauerit.

CAROLUS FRIDERICUS POEHLITZ

natus in uico Crauschwitz d. XXV. mens. Aug. a. XXXVIII. patre Friderico, matre Theresia e gente Schwartze, inde ab a. LI. gymnasium Cizense frequentauit, a. LIX. Halas Saxonum se contulit, ut mathematicam et physicam profiteretur artes, et in mathematicis et physicis disciplinis duces ei fuerunt Heine, Neumann, Knoblauch, in chemicis et mineralogicis Heinz, Girard, in philosophia Schaller, Erdmann, Haym. Examine pro facultate docendi a. LXIII. absoluto per quattuor semestria discipulos gymnasii Torgauiensis rebus mathematicis et physicis erudiuit.

SALOMO ALFREDUS KALISCHER

natus Thorunii d. IIII. mens. Mart. a. XLII. patre Hirschio, matre Henrica e gente Cohn, primum a. XLIX. gymnasio Thoruniensi traditus, inde ab a. LV. in scholam, qua artes quaestuariae docentur, cum illo gymnasio consociatam transiit. A. LX. Berolinum se contulit ibique philologiae et philosophiae operam dedit per quinque semestria, tum Schoenebeckii praeceptor domesticus fuit, uere a. LXIIII. Berolinum rediit, ut intermissa studia absolueret. Boeckhii, Trendelenburgii, Hauptii, Raumeri, Steinthalii, Müllenhoffii, Droyseni, Werderi, Mahnii, Herrigii, Sollyi, Dieterici discipulum se fuisse profitetur.

CUNO FRISCH

natus Dresdae a. XL. patre Ioanne Leopoldo Frisch, philos. doctore, matre Christiana e gente Michelia, patre amisso schola societatis latomorum, qui dicuntur, per quinquennium usus in officina Crusii Dresdensis artem medicamentariam didicit eamque Bernburgi, Berolini, Lipsiae exercuit. Inde ab a. LXIIII. in uniuersitatem litt. Lipsiensem transiit chemiam professus. Praeceptores eius fuerunt Hankel pater, Mettenius, Naumann, Roscher, Weisse, maxime Erdmann, cuius summa in se merita praedicat.

FRANCISCUS LEOPOLDUS HUBERTUS WILLAUMEZ

natus Montibus in ciuitate Belgica d. XXVIII. mens. Apr. a. XXXVI. patre Leopoldo Willaumez, utriusque iuris doctore, regi Belgii a consilis rerum metallicarum, matre Flora Gertruda e gente Eurardia, primum in collegio patrum societatis Iesu educatus, deinceps in uniuersitatibus litt. Louaniensi et Bruxellana philologiae et historiae studium coluit. Postea pater negotia mercatoria ei mandauit itaque in his negotiis et artibus se exercuit multasque Belgii, Francogalliae, Germaniae ciuitates uisitauit et aliquamdiu Parisiis degit. Sex annis ita consumptis Lipsiam uenit et studiis anatomicis, physicis, chemicis operam dedit.

CONSTANTINUS LIBER BARO DE WRANGELL

natus Petropoli d. V. (XVII.) mens. Maii a. XLII. patre Carolo Michaele doctore medicinae, matre Guilelmina e gente Chamot, in gymnasio Petropolitano II. et in gymnasio priuato Wiedemanni institutus, unum annum in uniuersitate litt. Petropolitana philosophiae studuit, tum Gottingae operam dedit Wöhlero, Sartorio de Waltershausen, Wickio, Griesebachio, Helferichio, Frankio, Waitzio per semestria tria, Lipsiae per duo semestria Roschero et Drobischio, Berolini Droyseno, Gneistio, de Holtzendorff, Dühringio, Steinthalio, Bonnae Meyero.

ALEXANDER VIAL

natus d. V. mens. Maii a. XXX. Wetterae in oppido Hassiae superioris et in gymnasio Marburgensi per semestria XIII. eruditus in uniuersitatem litt. Marburgensem transiit ibique theologiae et philosophiae operam dedit, multum animo suo uexatus doctrinis theologiae et philosophiae inter se discrepantibus, tamen theologiae studio fidem, quam dederat, praestitit. Studiis examinibusque absolutis aliquamdiu priuatus praeceptor fuit et publicus quidem ad aquas Mattiacas et Neukirchae in Hassia, quo tempore libellum, qui inscribitur: Ioh. Balthasar Schuppius ein Vorläufer Speners, edidit, nunc collega gymnasii Hersfeldensis est.

CAROLUS IULIUS RICHTER

natus Neosalzae d. XX. mens. Aug. a. XLII. patre Carolo Theaeno Richter apud Neosalzanos cantore, matre Augusta Ludouica e gente Engleria. Primum a patre et ab Eduardo Stange tum uerbi diuini apud Neosalzanos ministro eruditus annum aetatis agens XIIII. gymnasio Zittauiensi traditus est et quinquennio exacto Lipsiam uenit theologiae operam daturus, ubi hos praeceptores habuit Tuch, Kahnis, Brückner, Luthardt, Anger, Lechler, Hofmann, Weisse. A. LXIIII. candidatus theologiae factus et praeceptor in schola puellarum senatoria Dresdae constitutus est.

DETMAR SCHMIDT

natus d. XV. mens. Mai. a. XXXIX. Greizae, qua in urbe pater sacerdotis primi munere fungitur, post primam domesticam et publicam disciplinam in patria ciuitate absolutam gymnasio Plauiensi traditus est a. LIIII. Inde Lipsiam post quinquennium uenit ac theologiae et philosophiae studio ductus his uiris operam dedit Kahnisio, Luthardto, de Zeschwitz, Brücknero, Weissio, Fritzschio, post Erlangae audiuit Hoffmannum, Delitzschium, Thomasium, Harnackium, Frankium. Post Lipsiam rediit et postquam Greizae examen theologiae absoluit, priuatim aliquamdiu litteras docuit. Deinceps Greizae praeceptoris publici munus suscepit.

ERICUS GUSTAUUS WILISCH

de uita sua haec ad nos scripsit: ʻNatus sum Cottae in confiniis Bohemiae patre Henrico Ottone sacerdotali munere apud Cottanos functo, matre Wella ex gente Haentzschelia. Annum agens XIIII. scholae prouinciali Misnensi, cui nomen est St. Afrae, traditus per V. annos et dimidium studiis litterarum me dedi. Quo temporis spatio peracto in Academiam Lipsiensem migraui, ubi primo in studia theologica, mox in philologica operam contuli praeceptoribus usus G. Curtio, R. Klotzio, A. Westermanno in classicis quae uocantur studiis, Brockhausio et Fleischero in orientalibus, Wachsmuthio, Roschero, maxime Wuttkio in historicis, Weissio in philosophis, Zarnckio in Germanicis Societatibus adscriptus eram Latinae Klotzii, philosophicae Weissii, Germanicae Zarnckii, historicis Wuttkii et Brahdesii.ʼ

CAROLUS GUILELMUS WHISTLING

natus d. XIIII. mens. Iun. a. XXX. in uico Grossfurra prope Sondershusam sito, patre Augusto, saltuario generosae gentis de Wurmb, matre Christiana e gente Schneidewindia, quum infirmissima ualetudine esset, primum a patre, almae Portae olim alumno, qui iam eo tempore oculorum lumina amiserat, eruditus, tum autem gymnasio Sondershusano traditus est. Unde bene paratus in uniuersitatem litt. Lipsiensem transiit, ut iuris prudentiae et philosophiae disciplinis atque artibus ingenuis studium suum dicaret, quibus in disciplinis colendis praeceptores eius fuerunt Schilling, Haenel, Albrecht, Müller, Waechter, Roscher, Wuttke, Weisse, Hartenstein, Ouerbeck, Naumann, Funke, Brockhaus, E. H. Weber, Stallbaum, Fechner, Zarncke, Wachsmuth. Sed inopia rei familiaris iam eo tempore, ubi litterarum studium suscepit, ex ipsis litteris sibi, quae opus essent ad uitae cultum, parare coactus est itaque se ad scribendi studium contulit, per ephemeridas publicas de rebus quae aut scitu dignae essent aut animos hominum curiosorum delectatione caperent referens, eaque opera quum tantum mereret, ut etiam iter per regiones Rhenanas, Helueticas, Italicas suscipere et maximam partem Austriae uisitare posset, iam in his ipsis litteris, praesertim quum esset ualetudine tenui admodum, quasi habitare coepit, atque etiam absolutis studiis academicis, in quibus quinquennium fere posuerat, in eadem uitae condicione permansit: uertit complures libros scriptorum Francogallorum atque Anglorum nobiles in nostrum sermonem, de aliis libris in actis publicis rettulit, de rebus quae agerentur atque gererentur publice in ephemeridibus Augustanis (allgemeine Zeitung) sententiam dixit. Hoc consilio a. LXIIII. bello Danico exorto primum exercitus foederatae Germaniae, postea regis Borussiae atque imperatoris Austriae secutus est, etiam urbem Daniae Hauniam ipsam adiit, ut de iis, quae agerentur in illis regionibus, uera referre posset. Praeterea a. LXIII. socius externus caes. reg. societatis geographicae Uindobonensis et a. LXV. sodalis ordinarius societatis litterarum Parisinae (de l'association scientifique de France), cui praesidet astronomus clarus ille et illustris Le Verrier, factus est.

GUSTAUUS MAURICIUS WUSTMANN

de uita sua haec ad nos rettulit: ʻEgo, G. M. Wustmann, parentibus Augusto et Augusta e gente Saupia d. XXIII. Maii a. XLIIII. Dresdae natus sum. Pater tunc tormentarius regius erat, nunc postquam plus XXX. annos non sine honore mili-

tauit, quum graui morbo et paene mortifero adfectus esset, cum tenuissimo militiae emeritae commodo dimissus est. Domi educatus IIIIque annis in schola militari Dresdensi peractis quum me litteris dare constituissem, gymnasium quod est ad aedem Stae Crucis adii, cui et discipulus per VIII. et alumnus per VII. annos interfui. Deinde Lipsiam me contuli; VII. ibi semestria in philologica studia incubui, per III. seminarii philologorum regii scholas frequentaui; quibus absolutis nuper in examine pro candidatura muneris scholastici superioris probatus sum. Omnibus praeceptoribus meis optime de me meritis, maxime uero Klotzio, Westermanno, Curtio uiris praestantissimis seminarii rectoribus et Ouerbeckio meo gratias pio animo ago maximas.'

IOANNES FRIDERICUS AUGUSTUS PROCKSCH

de uita sua haec ad nos perscripsit: 'Natus ego sum Naundorfii in uiculo Misniaco d. X. mens. Apr. a. XLI. parentibus Theophilo et Ioanna e gente Eichhornia. Prima litterarum elementa doctus sum Neukirchii, quo parentes transmigrauerant. XIIII. annos natus gymnasii Budissini discipulus factus sum. Post VI. annos et dimidium dignus iudicatus, qui studia Academica capesserem, Lipsiam migraui mense Octobri a. LXI. IX. semestribus scholas frequentaui praeter ceteros Westermanni, Klotzii, Curtii, Zarnckii, Roscheri, Weissii uu. cll. et ill. Cum his omnibus tum Klotzio u. cl., cui IIII. per semestria a manu fui, maximam gratiam habeo semperque habebo. Quum de disciplina et facultatibus meis temptari uellem, examen subii hoc a. mense Martio, quo reipublicae satis facere posse iudicatus sum.'

SUSSMANNUS WEINSTEIN

de uita sua haec fere ad nos scripsit: 'Sussmannus Weinstein natus sum in uico Wommen, in terra Electorali d XVII. mens. Sept. a. XXXV. patre Arone, matre Bertha e gente Heilbrunn. Fidei addictus sum Iudaicae. Scholas frequentaui Fuldae, Cassellae, Lutetiae Parisiorum. Ineunte a. LXIII. studiis philologicis operam nauaturus Academiam Berolinensem petiui, ubi scholis interfui uu. cel. ill. Trendelenburg, Droysen, Haupt, Solly, Mommsen, Hübner, Raumer, Steinthal, Kirchhoff, Mullach, Lebrecht, Steinschneider, Haarbrücker, Roediger, Diterici, Herrig, Jordan, Du Bois-Reymond.'

OTTO OUERBECK

natus Tremoniae s. Dormundiae d. XXIIII. mens. Iun. a. XLII. patre Guilelmo, matre Iulia e gente Goecke, primum in schola Gladbacensi, postea ab a. LIII. in schola Mühlhemiensi eruditus, postquam schola realis Tremoniensis in primum ordinem prouecta est, in patriam rediit scholam ibique a. LXI. maturitatis testimonium nactus, per menses XVIII. in quadam patris officina occupatus est. Tum consilio mutato chemiae studium suscepit, Academiam Turicensem adiit et per IIII. semestria scholis interfuit uu. cl. Staedeler, Bolley, Clausii, Uischer, Scherr, Wisliceni, laboratorio autem primum Staedelero duce, per semestria III. duce Baeyero operam dedit.

GEORGIUS MISTRIOTIS

natus Tripoli in ciuitate Peloponnesi d. XXIII. mens. Apr. a. XXXVII., primum in patrio gymnasio eruditus est, ab a. LVIII. uniuersitatem litt. Atheniensem adiit et quum aliorum uirorum tum Euthymii Castorchae, Stephani Eumanudis, Russo-

puli scholis interfuit. Praeterea munus adiutoris in specula astronomica nactus erat et trium certaminum panhellenicorum, quae ad philologiam pertinebant, particeps fuit et bis uicit, semel collaudationem meruit. Postea sumptu publico in Germaniam missus est. Uenit Lipsiam, ut philologiae studia ad finem perduceret.

HENRICUS IULIUS OTTO SCHMIDT

natus Berkae ad Werram d. XII. mens. Octob. a. XLII. patre Carolo Friderico Mauricio, qui rationem uectigalis publici spectatoris tum munere fungebatur, matre Henrica e gente Hunnia, praematura morte defuncta, primum eruditus ab Hohmanno, XI. annos natus datus est Ienam in disciplinam Caroli Volkmari Stoy. Post tres annos in gymnasium Vinariense transiit et annis V rectoribus Heilandio et Rassouio ibi transactis in uniuersitatem litt. Ienensem migrauit, ut philologiae operam daret. Hic audiuit Goettlingium, Nipperdeium, Fischerum, Ad. Schmidtium, tum Maur. Schmidtium, quem, quum esset eius societatis philologae sodalis, optime de se meruisse profitetur. Post IIII. semestria Lipsiam uenit, ubi praeceptores eius fuerunt Klotz, Wuttke, Wenck, Ritschl.

IOANNES IMMANUEL CHATZIDAKES

Graecus in insula Creta natus, educatus est apud patruum suum Misaelem tum metropolitam Achaiae et Elidis. Ibi postquam gymnasii studia absoluit, per anni spatium praeceptor in schola Cretensi fuit. Postquam patruus eius metropolita Atticae factus est, eum secutus nepos in uniuersitate litt. Atheniensi philosophiae et theologiae operam dedit. Mortuo patruo praeceptoris munus in domo Caratzae principis quondam Ualachiae et Moldauiae suscepit. Postea stipendium in biennium a Demetrio Bernardaki nactus, qui uir liberalis admodum in populares suos Petropoli degit, Lipsiam uenit, ut studia sua absolueret.

ALEXANDER SAYTZEFF

filius Michaëlis natus d. XX. mens. Iun. a. XLI. Casani, ab a. LI. usque ad a. LVIII. gymnasium Casanense II. frequentauit. A. LVIII. in uniuersitate litt. Casanensi caes. chemiae et technologiae maxime ducibus Butlerouio et Tehugunouio operam dedit. A. LXII. absolutis examine studiis in Germaniam profectus est, ut Kolbio potissimum auctore chemiae studium coleret. Eo tempore duas dissertationes in Annal. chem. et pharmac. publicauit, alteram, quae inscribitur: 'Ueber Diamidosalicylsäure,' alteram: 'Ueber die Einwirkung von cyansaurem Kali auf Monocloressigaether.'

ANTONIUS ZUCHRISTAN

natus d. XXIIII. mens. Dec. a. XXIX. Eppanni in fano Sti Pauli ad Bulsanum ciuitatem Tirolensem patre Ioanne, matre Catharina, in gymnasiis Bulsanensi et Ueronensi eruditus, in gymnasio Oenipontano testimonium maturitatis nactus est. Postquam in officio rerum cameralium annos IIII. de patria mereri conatus est, studiis iuris utriusque operam dedit. Postea amore uitae rusticae ductus, quod puer olim in praedio patris uixerat, agricolationi sese dicare constituit, in qua ut progressus maiores faceret, iter per Italiam, Galliam, Britanniam fecit. Quum autem agricolationem sine rerum naturalium cognitione recte percipi non posse intellexisset, has ipsas disciplinas, quamuis aetate iam prouectior esset, primum in

Academia Poppelsdorfensi cum uniuersitate litt. Bonnensi consociata, tum Gissae, Halis Saxonum, Lipsiae diligentius tractauit.

ADOLPHUS SILBERSTEIN

natus d. I. mens. Iul. a. XLV. Pesti patre Leopoldo mercatore, matre Ludouica e gente Weissia. Mosaicae disciplinae addictus puer admodum linguam Hebraicam, tum Hungaricam et Germanicam didicit, mox etiam litteris Graecis et Latinis operam dedit et examine in gymnasio apud Patres pios Pesti absoluto in Germaniam profectus est, ut linguarum ac philosophiae studium coleret, et uno semestri Lipsiae potissimum Drobischium audiuit, tum Berolini duce Webero linguam Sanscritam discere studuit. Post annum per unum semestre Heidelbergae Häussero potissimum operam dedit, Lipsiam reuersus per tria semestria medicinae arti et paedagogicae, huic potissimum Zillero duce, studium suum dicauit.

ULRICUS ERDMANNUS AUGUSTUS SCHNEIDER

natus a. XLII. Markneukircheniae in oppido Uarisciae Saxonicae, quum auus, Aug. Iani, qui iudicio regio praeerat, et pater consilium cepissent cum suis in Americam migrandi, in Oceano et auum et matrem morte amisit. Pater quum duos annos primum in ciuitate Texana tum in ciuitate Eboracensi noua (New-york) commoratus esset, altero filio et filia amissis ipse quum animo tum corpore confectus in Europam rediit a. LI. comite Ulrico nostro IX. annos nato. Postea puer XIIII. annos natus alumnus in schola regia Grimensi sex annos uersatus, inde a. LXII. Lipsiam uenit, ut philologiae operam daret.

IOANNES KOHLSCHUETTER

natus d. XXV. mens. Iul. a. XLI. Glauchauiae patre Ernesto Volcmaro tum apud Glauchauienses archidiacono, matre Agnete e gente Stauenhagia, post tredecim annos scholae Afranae traditus et ibi sex fere annos eruditus est. A. LX. Lipsiam uenit, ut theologiae operam daret. Hic VII. semestribus doctores eius fuerunt Tuch, Kahnis, Anger, Brückner, Luthardt, Lechler, Weisse, Drobisch. Mense Augusto a. LXIII. theologiae candidatus factus est eique primum Berolini Dorner, Trendelenburg, alii, tum Heidelbergae Rothe, Holtzmann, Häusser, alii praeceptores fuerunt. Postea munere scholastico Lipsiae suscepto, collegio contionatorio, quod est ad Sti Pauli, ascriptus est, nuper candidatus reuerendi ministerii et contionator uespertinus ad Sti Pauli factus est.

CURT CASPARI

natus d. XI. mens. Sept. a. XXXIX. Plauiae patre Adolpho, matre Carolina e gente Lorenzia. Ab a. L. usque ad a. LVIII. gymnasium Plauiense Palmio rectore frequentauit, a. autem LVIII. Lipsiam uenit, ut theologiae studio se daret Brücknero, Tuchio, Angero potissimum ducibus. Plus triennium Lipsiae studiorum causa uersatus candidatus theologiae et Lipsia relicta Dresdae in Richteri ludo praeceptor puellarum factus est. Biennio exacto candidaturam reuerendi ministerii consecutus iam in gymnasio Vitzthumiano praeceptoris munere fungitur.

BERNHARDUS ADOLPHUS ROBERTUS KRUMBIEGEL

natus d. XVIII. mens. Aug. a. XXXVII. in uico montano Plaue primum a patre eius uici ludimagistro institutus, annum agens XIII. Fribergensi gymnasio traditus est.

Hinc a. LVII. Lipsiam uenit, ut theologiae studio se dederet, et Hebraicae linguae potissimum operam dedit. A. LXI. candidatus theologiae, a. LXIII. candidatus reuerendi ministerii factus est; tamen ad munus ecclesiasticum dubitauit accedere et Lipsiae mansit, ut philologiae studium coleret. Interea a. LXIIII. uicibus praeceptoris cuiusdam in gymnasio Fribergensi functus est. Postea Lipsiam ubi rediit, ei munus praeceptoris in gymnasio, quod est ad Sti Thomae, commissum est.

IULIUS ADOLPHUS BERNHARD

de uita sua haec scripsit: 'Natus sum d. XXI. mens. Nou. a. XLI. Zehmine paruo Saxoniae uico, ubi pater, Franciscus Iulius Bernhard, nunc apud Magdebornenses sacerdos, tum pastoris munera administrabat: mater est Guilelmina e gente Rudloffia. Linguarum Latinae et Graecae reliquarumque disciplinarum, quae in scholis tractari solent, elementis a patre imbutus uitae anno XIIII. gymnasio Nicolaitano educandus traditus sum. Sexennio praeterlapso a. LXII. inter Academiae Lipsiensis ciues receptus philologiae studiosus fui. Scholas autem philologicas frequentaui Klotzii, Westermanni, Curtii, Brockhausii, Zarnckii, historicas Wachsmuthii, Wuttkii, philosophicas Weissii, paedagogicas Zilleri.

REGINHARDUS ZÖLLNER

natus d. XIX. mens. Febr. a. XLIIII. Eybauiae in uico prope Loebauiam in Lusatia superiore sito. Pater ibi et Chemnitii mercaturam fecit, quo etiam a. XLVI. migrauit, a. autem XLVIII., quum ad comitia Germaniae Francofurti instituta lectus esset, suos ad pristinas sedes remisit. Deinde Zittauiae primum in scholis publicis, tum in gymnasio eruditus est et a. LXII. Lipsiam uenit, ut philologiae et historiae studio se daret. Hic duces ei fuerunt Weisse, Drobisch, Fechner, Wenk, Curtius, Klotz, Westermann, maxime uero Zarncke et Wuttke, quos ad historiarum intelligentiam aditum sibi aperuisse profitetur.

LUDOUICUS GUILELMUS SCHAUFUSS

natus Greizae d. XXIIII. mens. Aug. a. XXXIII. patre Carolo Friderico, matre Augusta e gente Schulzia, cum patre mercatore non felicissimo mox Altenburgum, tum Chemnicium, postea Dresdam, denique Lipsiam migrauit. Schola Lipsiae relicta mercaturam Dresdae, quo parentes rursus concesserant, apud Chr. Abeken discere coepit, qui tum Dresdae medicamentorum pigmentorumque commercium faciebat, sed quum summa rerum naturalium cognoscendarum cupiditate duceretur, ei permissum est a magistro suo, ut, quoad eius fieri posset, his ipsis studiis uacaret, quibus in studiis se grato animo profitetur primum a uiris doctissimis Fleckio, Krone, Reinecke, tum ab Hartwigio et Klocke esse adiutum. Mox quum ipse exempla rerum naturalium notabiliorum collegisset et cum aliis permutaret, cum uiris in hoc genere clarissimis commercium litterarum et rerum instituit et fieri studebat eorum opera doctior. Iam a. LIII. inter Isidis socios Dresdae receptus scholis, quae in illa societate singulis hebdomadibus Reichenbach, Carus, Richter, Sussdorf, Haubner, Drechsler, Törmer, Küchenmeister, Geinitz aliique habebant, interfuit, a. LVI. etiam secretarius sectionis zoologicae Isidis factus est. A. LVIII. ab amico suo Klocke, qui commercium rerum naturalium notabiliorum instituerat, inuitatus est, ut eius negotii socius fieret, quod paulo post mortuo socio ipse suscepit, ducta in matrimonium Clara Isidora e gente Kaemmelia Dresdensi.

Interea quum itineribus, partim etiam publica pecunia susceptis, tum scholis, quae in Academia medico-chirurgica Dresdae habebantur, studium rerum naturalium magis ac magis colere numquam destitit. Itaque paulatim innotuit et societatum entomologicarum et Sedinensis et Parisinae et Petropolitanae et Londinensis, tum societatis caes. zoologicae et botanicae Uindobonensis, litterarum Gorlicensis, a. autem LXV. imperialis Leopoldo-Carolinae socius ordinarius factus est.

OTTO HERMES

natus Meyenburgi in oppidulo Priegnitiae d. X. mens. Sept. a. XXXVIII. patre Carolo, matre Guilelmina e gente Elss, post primam disciplinam puerilem scholae Perleburgensi, in qua rerum naturalium studium et artes quaestuariae potissimum coluntur, traditus est. Relicta hac schola a. LIIII. artem medicamentariam didicit et a. LXII. examen publicum absoluit. Tum in uniuersitate litt. Berolinensi biennium praeceptores eius fuerunt Mitscherlich, Rose, Magnus, Sonnenschein, Dow, Karsten, Berg, in laboratoriis duces Sonnenschein et Finkener. Nunc officinam chemicam suam Berolini administrat. Scripsit etiam dissertationem: 'Ueber krystallisirtes Natronsiderat', quae est in Annal. Poggendorffianis a. LXIII. edita.

OTTO LOTH

natus Misenae a. XLIIII. patre Carolo iuris utriusque doctore, senatore Misenensi, matre Ottilia e gente Kargia, post puerilem institutionem scholae Afranae traditus t per sex annos eius disciplina usus est. A. LXIII. Lipsiam se contulit et non neglecto aliarum rerum, quae scitu dignae essent, studio potissimum linguarum orientalium, quarum amorem iam duce Grafio Misenae ceperat, Fleischero, Krehlio, Brockhausio praeceptoribus scientiam sibi comparauit. Nunc triennio Lipsiae exacto iam etiam alias terras litterarum causa adire statuit.

PAULUS FRIDERICUS PFOTENHAUER

natus Glauchauiae d. XXX. mens. Iul. a. XLII. patre Friderico Guilelmo, qui nunc summus consul Dresdensis est, matre Antonia Ludouica e gente Funkhaenelia. Post disciplinam puerilem gymnasium, quod Dresdae est ad Stae Crucis, rectore I. L. Klee frequentauit. Autumno a. LXII. maturitatem Academicam consecutus per V. semestria uniuersitatem litt. Lipsiensem, per unum dehinc Ruperto-Carolinam Heidelbergensem frequentauit, primo iuris, postea historiae studio maxime deditus. Historiae tractandae causa Berolini in uniuersitate litt. Friderico-Guilelmiana postremum uersatus est et ibi per proximum etiam tempus uersari cogitat. Praeceptores eius fuerunt Lipsiae Ahrens, Albrecht, Curtius, Drobisch, Flathe, Müller, Ouerbeck, Pückert, Roscher, Seydel, de Treitschke, Wachsmuth, Waechter, Wuttke, Zarncke, Heidelbergae Häusser, Wattenbach, Berolini Droysen, Gneist, de Holtzendorff, Mommsen, Ranke, quibus uiris omnibus iam maximas agit gratias, inprimis uero iis, quos ad exercitationes historicas aditum sibi parauisse profitetur, Wuttke, Wattenbach, Ranke.

LIPSIAE
FORMIS DESCRIPSIT A. EDELMANNUS TYP. ACAD.

(2)

RECTOR
COMMILITONIBUS
CERTAMINA ERUDITIONIS
PROPOSITIS PRAEMIIS

IN ANNUM MDCCCLXVII

INDICIT.

Anteposita est Reinholdi Klotz *adnotationum criticarum ad M. Tullii Ciceronis orationem Caecinianam pars altera.*

LIPSIAE
PROSTAT APUD A. EDELMANNUM
BIBLIOPOLAM UNIUERSITATIS.

1871 Jul. 19.
Salisbury [illegible],

Ad ea, quae nuper de locis quibusdam Ciceronis, qui in eius oratione Caeciniana leguntur, diximus, haec iam adiungamus.

C. XVI. §. 47. Io. Georg. Baiterus in uerbis his: *decessi unius hominis telo perterritus: deiectus detrusus que sum.* pro eo, quod est in libris, *perterritus* de coniectura sua scripsit *proterritus.* Id probari nullo modo potest. Nam ut concedamus perleue discrimen in libris manu scriptis esse inter ꝓ et ꝑ, quibus notis *pro* et *per* praepositiones significari notum est, ut etiam illud concedamus, quum in ceteris Ciceronis scriptis tum in hac ipsa oratione verba haec *perterrere* et *proterrere* inter se saepius esse commutata, uelluti 9, 24., ubi auctoribus Aquila Romano *de figuris sententiarum* §. 29. p. 31, 15. ed. Halm. et codice Tegernseensi recte nunc ab omnibus criticis repositum est: *ferro, inquit, ferro, et hoc dicit in iudicio, te reieci atque proterrui.* 11, 31., ubi de Orellii coniectura scriptum est: *Is, qui armis proterritus, fugatus, pulsus est, non uidetur esse deiectus?* 13, 37., ubi e codicum Tegernseensis et Erfurtensis testimonio nunc recte editum est: *si — tu solus prohibitus et a tuis aedibus ui atque armis proterritus (eris)*, tamen illius loci, de quo hic agitur, alia ratio est. In hoc enim loco motus significatio, quae in ceteris locis praepositione loquelari *pro* continetur, iam ipso uerbo *decessi* satis denotatur, ut *proterritus* pro *perterritus* non magis hic scribendum fuerit quam si quis 17, 49., ubi iure in libris habetur: *si — ex eo loco metu permotus fugisset, promotus* pro *permotus* scribere uellet. Laudo igitur C. L. Kayserum, quod hoc loco Baiteri coniecturam secutus non est.

C. XX. §. 58. in libris manu scriptis haec uerba habentur: *Tam restitues, si unus seruulus, quam si familia fecerit uniuersa, non quo idem sit seruulus unus, quod familia, uerum quia non quibus uerbis quidque dicatur quaeritur, sed quae res agatur.* atque ita uulgo, etiam a Baitero et Kaysero nuper, ea uerba edita sunt: quamquam facile doceri potest hanc ueram scripturam non esse. Nam etiam si nullo negotio intellegitur uerba *si familia fecerit* quo pertineant et quid sibi uelint — praecedunt enim haec uerba: *Tam restitues, si tuus me libertus deiecerit nulli tuo negotio praepositus, quam si procurator deiecerit* etc. —, tamen hanc deiectionem solo uerbo *facere* hic significari potuisse nemo iure contendet. Qua re Lambinus et Orellius permoti esse uidentur, ut pro *fecerit* scriberent *deiecerit*, quod in editione Aldina inuenerant. Sed si reponimus *deiecerit*, addendum etiam erit pronomen *me*, ut sit *me deiecerit*. Uerum quum neque pronomen *me* in libris habeatur et *fecerit* aperte pro *deiecerit* legatur, fortasse etiam hoc statui potest, Ciceronem aliud scripsisse omnino, ueluti *quam si familia illam uim fecerit uniuersa*, si conferas quae supra §. 57. leguntur: *qui illam uim deiectionemque tuo rogatu aut tuo nomine fecerit.* Sed in eius modi causa difficile est quidquam pro certo adfirmare.

C. XXI. §. 61. in uerbis: *Non enim reperies quemquam iudicem aut recuperatorem, qui tamquam si arma militis inspiciunda sint, ita probet armatum, sed perinde ualebit quasi armatissumi fuerint, si reperientur ita parati fuisse, ut uim uitae aut corpori potuerint adferre,* non dubito quin e codice Tegernseensi recipiendum fuerit *proinde* pro *perinde.* Quam scripturam iam Lambinus nescio qua auctoritate secutus est.

C. XXII. §. 62. leguntur in libris haec uerba: *Nam tum quidem omnes mortales inplorare posses, quod homines in tuo negotio Latine obliuiscerentur, quod inermi armati iudicarentur, quod, quum interdictum esset de pluribus, commissa res esset ab uno, unus homo plures esse homines iudicarentur.* In his uerbis offendit Kayserum uox: *quod inermi armati iudicarentur,* eamque uocem suppositiciam sibi uideri additis uncis indicauit. Ac sane, quum ea respicimus, quae paullo ante leguntur: *Atque ut magis intellegas quam uerba nihil ualeant, si tu solus aut quiuis unus cum scuto et gladio inpetum in me fecisset atque ego ita deiectus essem, auderesne dicere interdictum esse de hominibus armatis: hic*

autem hominem armatum unum fuisse? Non, opinor, tam inpudens esses. Atqui uide ne multo nunc sis inpudentior, si haec, inquam, respicimus, istud membrum non satis huic loco conuenire uideri potest: uerum tamen Ciceronem ea quoque animo uoluisse, quae paullo ante §. 61. erant dicta, atque hoc exemplum de numero hominum armatorum sumptum eodem ordine proposuisse, quo illud ipsum, quod dictum erat de armis, apparet ex iis, quae deinceps §. 63. adduntur, ut tamen Kayseri ratio inprobanda mihi esse uideatur. Illud autem, quod Baiterus nuper in hoc loco pro uerbis, quae in libris omnibus ita leguntur: *quod — unus homo plures esse homines iudicarentur*, ex editionibus Uenetis antiquissimis, quas ipse commemorauit, reposuit: *quod — unus homo plures esse homines iudicaretur,* ut hic quoque dialecticae regulas, quibus Cicero usus uideretur, melius dirigere uellet quam ipse orator, id multo etiam minus probare possum. Nam in eius modi locis ut genus sic etiam numerum praedicato adsimulari, non subiecto, satis notum est, conf. L. Ramshornii *gramm. Lat.* §. 97. not. 4. C. Reisigii *schol. a C. Haasio editas* §. 193 sq. I. N. Maduigii *gr. Latin.* §. 216., quorum hominum praecepta multis exemplis facile possunt conprobari.

C. XXIII. §. 66. nuper Baiterus scripsit: *Fateor me homines coëgisse, fateor armasse, fateor tibi mortem esse minitatum, fateor haec interdictum praetoris uindicauisse, si uoluntas et aequitas ualeat* etc., quibus in uerbis se ait Th. Mommsenii coniectura ductum esse. Quum in libris plerisque, etiam in codicibus Tegernseensi et Erfurtensi, *uindicaui*, non *uindicauisse* legatur, in Geneuensi *iudicari*, in aliis autem libris *uindicari*, *uiolari* aut similia uerba habeantur, non uidetur ueri simile a Cicerone *uindicavisse* esse scriptum, sed potius *uindicari,* quo et ductus litterarum et sententia ipsa, quae tempus praesens, non perfectum requirit, sine dubio ducit, et si in libris omnibus legitur *interdictum,* non *interdicto*, commemoro in his nominibus, quae saepe numero per notas scribi solebant, saepius in terminationibus mutationes esse ortas, ut librorum auctoritati multum in ea re tribuendum non sit. Quod quum ita sit, credo ego Ciceronem haec uerba olim ita scripsisse: *fateor haec interdicto* (aut etiam *per interdictum*) *praetoris uindicari, si uoluntas et aequitas ualeat* etc. Nam *haec* e codice Erfurtensi recipiendum esse censeo, quia singulae illae res, quae erant propositae, intelleguntur et *hoc,* quod est in

ceteris libris, facile, quum pronomen ad nomen, quod sequebatur, adsimularetur, scribi potuit.

C. XXVI. §. 74. Baiterus edidit: *Quid enim refert aedes aut fundum relictum a patre aut aliqua ratione habere bene partum, si incertum est, quaecunque tua iure mancipii sunt, ea possisne retinere, si parum communitum est ius ciuile ac publica lege contra alicuius gratiam teneri non potest?* Quibus in uerbis permultae res sunt, in quibus iure haereamus, quamquam ex parte etiam Kayserus Baiteri rationem secutus est. Ac primum quidem uerba: *quaecumque tua iure mancipii sunt,* recte sese habere non uidentur. Neque enim in libris ista uerba scripta sunt neque, quum sententiam ipsam spectamus, huic Ciceronis orationi conueniunt. *Quaecumque* enim in hunc locum non cadit, ubi simplex *quae* dicendum erat. Quam ob rem quum e libris manu scriptis praeter codicem Tegernseensem omnibus enotatum esset: *quae cum omnia tua,* e codice autem Tegernseensi adferretur: *quae mina tua,* ego in *Nou. annal. philol. et paedag.* uol. LXXXIX. p. 499 sq. illud uerbum hic oblitteratum esse dixi, quod, quum rarius in Ciceronis scriptis legeretur, etiam alio M. Tullii loco corruptum esset, ac pronuntiaui mihi scribendum uideri: *si incertum est, quae dominia tua iure mancipii sunt, ea possisne retinere* etc. de eaque scriptura eo minus dubitari poterit, quod sic et eorum uerborum aut litterarum, quae in libris sunt, causa ac ratio plane constat, praesertim quum uox *dominia* etiam in Ciceronis *Accusat.* III. 4, 9. eodem fere modo corrupta sit, et sententia ipsa egregie congruit. De dominio enim, quod est plenum ius alicuius rei, maxume hoc loco agitur idque uerbum sic legitur usurpatum in loco Pomponii Rufi apud Valerium Maximum IV. 4. pr. et apud Plinium *hist. nat.* XXXVII. §. 117. ed. Sill. et saepius quidem in libris iuris consultorum, ueluti apud Gaium *inst.* II. §. 44. *quod ideo receptum uidetur, ne rerum dominia diutius in incerto essent, cum sufficeret domino ad inquirendam rem suam anni aut biennii spatium, quod tempus ad usucapionem possessori tributum est.* et *Digest.* XLI. 3, 1. *bono publico usucapio introducta est, ne scilicet quarundam rerum diu et fere semper incerta dominia essent, cum sufficeret dominis ad inquirendas res suas statuti temporis spatium.* Atque apud iure consultos etiam illa ipsa formula *dominium retinere* saepius inuenitur, ueluti *rei suae dominium retinere* legitur in *Digest.* I. 5, 20., *iure empti dominium retinere* est in *Fragm. Uatic.* §. 9. similiterque dicitur *per mancipa-*

tionem praediorum dominium transferre ibid. §. 263. Haec igitur cum constent, non minus mihi Baiteri ratio repudianda uidetur, qui, ut dixi, de Lambini coniectura edidit: *quaecumque tua iure mancipii sunt,* quam illud, quod Kayserus nuper de coniectura sua reposuit: *quae patrimonia tua iure mancipii sunt.* Nam haec omnia et a litterarum uestigiis, quae in libris sunt, longius recedunt neque sententiae ullo modo satis faciunt, quum illud, quod ego dixi mihi reponendum uideri, et ea, quae in libris habentur litterarum uestigia, facile in corpus suum recipiat et sententiae huius loci plane satis faciat. Alterum peccatum, in quo uterque criticus eamdem rationem nuper secutus est, continetur uerbis his, quae iam sequuntur: *si parum communitum ius est ciuile ac publica lege contra alicuius gratiam teneri non potest,* quibus in uerbis constituendis critici illi Th. Mommsenii coniecturam sese secutos esse profitentur, quam ego huic loco minume conuenire censeo. Nam et ab ea scriptura, quae est in libris, nimium recedit nec habet meliorem sententiam, quam illud, quod Orellio, Wesenbergio, Maduigio auctoribus vulgo legebatur: *si parum est communitum ius, si ciuili ac publica lege contra alicuius gratiam teneri non potest.* Nam apparet ciuilem ac publicam eam legem rectissume dici, quae ualeat inter ciues et publica auctoritate communita sit ac probata, et quis negauerit hanc sententiam, quae his uerbis subiecta est, ad hunc locum esse aptissumam?

Denique §. 75. Baiterus nuper scripsit: *non solum, quod haec iure ciuili saepta sunt, uerum etiam quod patrimonium unius incommodo dimittitur, ius amitti non potest sine magno incommodo ciuitatis,* ut *dimittitur* scriberet pro eo, quod libri manu scripti meliores omnes habent, *dimittetur.* Adsentior ego Kaysero, qui quod ego quoque olim obtinui *dimittetur* seruauit. Nam ut non nego potuisse sine accuratiore temporis significatione dici *dimittitur,* ut uniuersa magis haec sententia poneretur, ita contendo tempus futurum huic loco maxume conuenire, quo tempore hoc declaratur, si hoc ponderemus, quid denique ex ea re euenire uideatur, patrimonium unius incommodo dimissum iri, ius autem amitti non posse sine magno incommodo ciuitatis, conferantur quae de simili constructione ad Ciceronis lib. *de oratore* I. 12, 15. scripsi in *Quaestionum Tullianarum* lib. I. p. 4 sqq.

Iam uenio ad locum difficiliorem explicatu, quem omnes fere critici nunc iniuria, ut opinor, corruptum esse putauerunt. Legitur is locus c. XXVII. §. 77 sqq.

et sic mihi iam constituendus esse uisus est: *Hoc loco percommode accidit, quod non adest is, qui paullo ante adfuit et adesse nobis frequenter in hac causa solet, uir ornatissumus, C. Aquilius: nam ipso praesente de uirtute eius et prudentia timidius dicerem, quod et ipse pudore quodam adficeretur ex sua laude et me similis ratio pudoris a praesentis laude tardaret: cuius auctoritati dictum est ab illa causa concedi nimium non oportere. Uereor de tali uiro ne plus dicam quam uos aut sentiatis aut apud uos commemorari uelitis: quapropter hoc dicam, numquam eius auctoritatem nimium ualere, cuius prudentiam populus Romanus in cauendo, non in decipiendo perspexerit* etc. Hoc loco, ut minores quasdam res omittam, mihi summus interpretum error in eo uersatus esse uidetur, quod uerba haec: *Uereor de tali uiro ne plus dicam quam uos aut sentiatis aut apud uos commemorari uelitis*, a M. Tullio ad recuperatores conuerso dicta esse existimauerunt. Quod si ita factum esse statuimus, inepta oratio esset, nisi ante *uereor* negatio poneretur, quam fere omnes interpretes nunc adiiciendam esse putauerunt, quamquam in libris manu scriptis nullum eius uocis uestigium inuenitur. Recte uero se omnia habent, si hoc statuimus, Ciceronem eodem fere modo, quo infra §.79. loquitur: *Qua re permagnam initis a nobis gratiam, quum eum auctorem nostrae defensionis esse dicitis*, haec quoque uerba ad Sex. Aebutium eiusque amicos atque aduocatos conuersum dicere: *Uereor de tali uiro ne plus dicam quam uos aut sentiatis aut apud uos commemorari uelitis.* Quod si fit, recte negatio abest. Nam re uera Cicero uereri debebat ne de C. Aquilio ornatissimo uiro plus diceret quam Sex. Aebutius et ei, qui ab eius parte fuerunt, dici uellent, praesertim quum eius auctoritatem in hac ipsa causa interpositam imminuere isti studerent. Si Cicero deinceps ita pergit dicere: *quapropter hoc dicam, numquam eius auctoritatem nimium ualere, cuius* etc., quibus uerbis simulat se minus iam dicturum esse quam dicere posse uideatur — nam *hoc* in hac sententia fere est idem quod *hoc tantum* —, tamen hoc obtinendum est, eius modi rationem dissimulationis saepe numero ab oratoribus aliis quoque locis esse usurpatam, ut, etiam si maxumas cuiuspiam laudes praedicarent, tamen fingerent se minus dicere, quam dicendum esse uideretur. Negatio igitur summo iure ante uerbum *uereor* in libris nulla ascripta est.

§. 79. est in libris omnibus scriptum: *omnibus quidque uerbis actum pronuntiatumque sit*, sed critici tamen omnes nunc ediderunt: *QUIBUS QUID-*

QUE UERBIS ACTUM PRONUNTIATUMQUE SIT, quod est iniuria factum. Nam quos appellant locos §. 58. et §. 81., ibi alia uerborum constructione legitur quidem pronomen relatiuum in simili formula, hoc tamen loco pronominis relatiui ratio nulla est, sed potius hoc quasi decretum auctoris Aebutiani profertur: Qua de re agatur, eam omnibus uerbis actam pronuntiatamque esse oportere, ut aequitatis ratio nulla ualere debeat, eaque ipsa sententia continetur his uerbis: *OMNIBUS QUIDQUE UERBIS ACTUM PRONUNTIATUMQUE SIT.*

C. XXVIII. §. 80. haec uerba sunt in libris: *Quum exemplis uterer multis, etiam illa materia aequitatis, a uerbo et ab scripto plurumis saepe in rebus ius et aequi bonique rationem esse seiunctam, semperque id ualuisse plurumum, quod in se auctoritatis hubuisset aequitatisque plurumum, consolatus est me et ostendit* etc. His in uerbis Baiterus significauit uerba *etiam illa materia aequitatis* sibi corrupta uideri commendauitque Pantagathi coniecturam, qua ille satis audaciter scribi uoluit: *Quum exemplis uterer multis ex omni memoria antiquitatis* etc. eamque coniecturam nuper Kayserus non ueritus est in ipsam uerborum seriem recipere, id quod minume probare possum. Namque his uerbis *illa materia aequitatis* respondetur infra §. 84. uerbis illis: *sin istum locum fugis et reformidas et me ex hoc, ut ita dicam, campo aequitatis ad istas uerborum angustias et ad omnes litterarum angulos reuocas.* Quem ad modum autem hoc loco materia aequitatis dicitur, sic aliis locis dixit Cicero *materiem orationis de oratore* II, 34, 145. *materiem iocorum* ibid. II. 65, 262. *m. sermonis epist.* III. 6, 4. *m. sermonum ad Q. fr.* I. 2, 1. §. 3. et alia id genus multa. Conf. de hac ui ac potestate uocabuli *materies* Ed. Bonnelli *Lexicon Quinctilianeum* p. 554. et quae nuper F. X. Allgayer constituit in Krebsii *Antibarb. serm. Lat.* p. 588 sq. ed. IIII.

C. XXIX. §. 82. scripsit nuper Baiterus: *Restituisse te dixti: nego me ex edicto praetoris restitutum esse;* eamque rationem secutus etiam infra est §. 84., ubi edidit: *si praetor non distinxit locum, quo me restitui iuberet, et restitui iussit, non sum ex edicto restitutus,* quamquam utroque loco in omnibus Ciceronis libris, etiam in codicibus Tegernseensi et Erfurtensi, aperte scriptum legitur *ex decreto* pro *ex edicto.* Id factum est a uiro doctissumo, propterea quod apud *Quinctilianum* IX. 3, 22. in hoc loco adferendo existumauit bis scriptum esse *ex edicto,*

non *ex decreto*. Et in Quinctiliani quidem exemplis uulgo editis legitur quidem nunc *ex edicto*, sed in libris multis non *ex edicto* inuenitur, sed tantum hoc *edicto*, conf. Spalding. edit. Quinct. vol. III. p. 464. et Zumpt. vol. V. p. 396., ut facile appareat scripturam eam, quae nunc apud Quinctilianum obtinetur, ex compendio perperam lecto natam esse. Fuit enim sine dubio in eius codice archetypo scriptum edcto. Id erat legendum *ex decreto*, conf. H. Keil *grammat. Latin.* vol. IIII. p. 282. et p. 306., sed falso legebatur *edicto*, deinceps, quum hoc minus per se intellegeretur, adiecta praepositione *ex edicto* scribi coeptum est. Ad sententiam si spectas, non poteris negare *ex decreto* aptissimum esse ad h. l. Audiamus de ea re Gaium *inst.* IIII. 140. *formulae uerborum et conceptiones, quibus in ea re utitur (praetor), interdicta decretaque uocantur. Uocantur autem decreta, quum fieri aliquid iubet, uelut quum praecipit, ut aliquid exhibeatur aut restituatur, interdicta uero, quum prohibet fieri, uelut quum praecipit ne sine uitio possidendi uis fiat neue in loco sacro aliquid fiat.* cl. *leg. Cisalpin.* c. 19. 2. et 4. *DECERNERET INTERDICERETUE.* et *DECRETUM INTERDICTUMUE.* uide Garatonium apud C. A. Iordanum ad h. l. p. 269 sq. tum C. O. Mülleri *Lehrbuch der Institutionen* (Lips. 1858). §. 34. p. 57 sq. Rem recte iam perspexit Fr. Lud. Kellerus *Semestrium ad M. Tullium Ciceronem* uol. I. p. 512. et ego hoc unum addo, satis miram mihi uideri, quod Kayserus priore loco §. 82. scripsit *ex decreto*, posteriore autem loco §. 84. *ex edicto*, ut crederem altero loco mero errore in eius exemplo scriptum esse *ex edicto* pro *ex decreto*, nisi ipse in prooemio p. XV. adnotasset de industria hoc factum esse auctore Lambino. Nam ne Quinctilianus quidem hunc alterum locum in mente habuit, ut ne leuem quidem umbram auctoritatis illa scriptura hoc quidem loco habere uideatur.

C. XXX. §. 87. nunc Baiterus et Kayserus scripserunt: *Id adeo sic considerate*, quem ad modum cod. Tegernseensis aperte scriptum habet, neque eam scripturam falsam esse apparet ex locis, quos attulerunt orationis *pro A. Cluentio* 29, 80. *Accusat.* IIII. 63, 141. Sed quum ceteri libri omnes, etiam cod. Erfurtensis, qui a prima manu habet *si considerate*, ab altera manu, habeant: *Id adeo, si placet, considerate*, facile adduci possumus, ut credamus a M. Tullio hunc locum olim ita scriptum fuisse: *Id adeo sic, si placet, considerate.* Nam in codice Tegernseensi saepe eius modi uoces etiam alias oblitteratae sunt.

C. XXXII. §. 93. leguntur haec uerba: *Hunc uero, qui ab iure, officio, bonis moribus ad ferrum, ad arma, ad caedem confugerit, nudum in causa destitutum uidetis* etc., quae iure Baiterus obtinuit, contra Kayserus haec uerba ita mutari uoluit, ut *bonis* ante *moribus* omittendum esse censeret. Id non recte factum est. Iure consulti enim non semel, si pudorem ac pudicitiam dicere uoluerunt, bonos mores commemorauerunt, ueluti *Digest.* XLVIII. 5, 13. §. 5. *iudex adulterii ante oculos habere debet et inquirere an maritus pudice uiuens mulieri quoque bonos mores colendi auctor fuerit:* cf. *Dig.* XVI. 46. §. 1. Bonis autem moribus hac sententia *mali mores* opponuntur Dig. XIIII. 6. 1. pr. *CUM SAEPE MATERIAM PECCANDI MALIS MORIBUS PRAESTARET.* Uerum saepe etiam tum *bonos mores* iuris consulti commemorauerunt, ubi probitatem atque aequitatem omnino dicere uoluerunt, ueluti *Digest.* XVI. 3, 1. §. 7. *nam haec conuentio contra bonam fidem contraque bonos mores est et ideo nec sequenda est.* ibid. XLV. 1, 121. §. 1. *nihil causae esse respondi, cur ex stipulatione, quae ex bonis moribus concepta fuerat, mulier inpleta condicione pecuniam adsequi non possit.* ibid. XXIX. 5, 29. §. 2. *quoniam aduersus bonos mores et ius gentium festinasset,* cui uoci *malus mos* opponitur in *Dig.* III. 5, 19. §. 1. IIII. 2, 8. pr. L. 13, 1. §. 12. Quidni igitur Cicero potuerit hac formula uti aduersus aduersarium, praesertim quom de eius moribus detrahere studeret? Denique Kaysero adsentiri non possum in eo, quod mox in uerbis: *Ecquid igitur interest, Piso, inter haec interdicta* etc. particulam *igitur,* quam sane cod. Tegernseensis omittit, delere uoluit. Nam coniunctio in hac oratione aptissima est, facile autem *igitur* per usitatam notam *ĝ* scriptum ex eo libro excidere potuit.

C. XXXIII. §. 97. haec verba in omnibus libris scripta sunt: *Iam uero in ceteris rebus, ut omnes, qui in eadem causa sunt, et lege agant et suum ius persequantur et omni iure ciuili sine cuiusquam aut magistratus aut iudicis aut periti hominis aut inperiti dubitatione utantur, quid ego commemorem?* neque quisquam adhuc praeter Kayserum in his uerbis haesitauit. Is autem uerba *aut inperiti* quasi aduenticia uncis circumdedit. Id recte factum non est. Nam in hac oratione quadripertita primum duo genera hominum, qui publica auctoritate sunt praediti dissimiles quidem inter se, magistratus et iudex, commemorantur, quorum alter iubet, alter iudicat, deinde duo genera hominum priuatorum ponuntur, qui ita inter se differunt, ut alter iuris peritus et in

his rebus exercitatus, alter inperitus iuris et a re forensi alienus sit, quod tamen non ita dictum existumari debet, quasi inperitus homo per contemptum dicatur, sed ita quem ad modum a nobis dicitur *ein Eingeweihter* et *ein Laie*. In uerbis iis, quae paullo post sequuntur, nunc iam de Garatonii coniectura credo ego scribendum esse: *Dubium esse nemini uestrum credo.* In libris pro *credo* habetur *certo*, quam ob rem fere nunc uerbo *scio* de coniectura adiecto *certo scio* grammatici scripserunt.

C. XXXIIII. §. 100. non laudo Baiterum et Kayserum, quod in uerbis his: *Nam ut haec ex iure ciuili protulerunt, sic adferant uelim, quibus lege aut rogatione ciuitas aut libertas erepta sit.*, *proferunt* potius ex libro Parisiensi k. sine dubio interpolato recipere maluerunt quam cum ceteris *protulerunt* ederent. Nam iure iam Kellerus l. c. p. 531. pronuntiauit ceterorum omnium librorum scriptura *profuerunt* uel *profuerint* potius *protulerunt* quam *proferunt* commendari, id quod eo magis hic recipiendum est, quod tempus praeteritum potius quam praesens ad hoc orationis membrum requiri uidetur. Paullo post malui iam *aliquam poenam* e codice Tegernseensi recipere pro uulgato *poenam aliquam*. Sic enim magis apparet *aliquam* ad utramque uocem, et ad *poenam* et ad *calamitatem*, pertinere.

C. XXXVI. §. 104. nunc editum est a Baitero et Kaysero: *Quapropter, si quid extra iudicium est, quod homini tribuendum sit, habetis hominem singulari pudore* etc. Sed neque id, quod in libris habetur, hanc rationem uidetur conprobare neque sententia ipsa, si uerum quaerimus. In libris enim ante *homini* aliquid legitur, quod etiam si per se uerum non est, tamen ad probabilem aliquam scripturam ducere potest. Habent enim libri aut *ui homini*, ut codex Vaticanus, aut *uirtuti homini*, ut Geneuensis et plures libri Monacenses et Parisini, aut aliquid eius modi, quae codicum uestigia mihi suadere uidentur, ut scribamus: *Quapropter, si quid extra iudicium est, quod ipsi homini tribuendum sit, habetis hominem singulari pudore* etc. Conf. supra 32, 94. *Atque ego in hoc Caecinam non defendo: possedit enim Caecina, recuperatores, et id, tametsi extra causam est, percurram tamen breui, ut non minus hominem ipsum quam ius commune defensum uelitis.*

Eadem §. extrema optume intellegi potest etiam minutas res critico non

esse neglegendas, si quidem artem suam recte exercere uult. Leguntur ibi haec uerba: *in iudicium non uenire utrum A. Caecina possederit necne, tamen doceri possedisse: multo etiam minus quaeri, A. Caecinae fundus sit necne, me tamen id ipsum docuisse, fundum esse Caecinae.*, neque quisquam usque adhuc suspicatus est haec non satis eleganter esse scripta, si quidem Ciceronis eloquentiam spectamus. Leue tamen uestigium antiquae et uerae scripturae mansit. Nam libri praeter interpolatum codicem Parisiensem k. omnes non hoc habent scriptum: *multo etiam minus quaeri*, sed, quod per se nullo modo potest ferri, *multo etiam minus quaerit*. In huius scripturae originem si inquirimus, facile agnoscemus olim hoc orationis membrum ei, quod praecedit, exaequatum fuisse, quod uis orationis et eloquentiae Tullianae ratio paene flagitare uidetur. Itaque sine dubio quem ad modum superius membrum plenam distinctionem habet: *in iudicium non uenire, utrum A. Caecina possederit necne*, eo, quod *utrum* praecedit, sequitur *necne*, sic illa quae est in libris manu scriptis corruptela *quaerit* eo ducit, ut etiam in posteriore membro plena illa distinctio restituenda esse uideatur scribendumque: *multo etiam minus quaeri, utrum A. Caecinae fundus sit necne.* Ac si cui minus credibile esse uideatur uocem *utrum* ita potuisse deminui, ut sola littera *t* maneret, is primum consideret omnino in eius modi particulis notas fuisse admodum usitatas, et sine dubio olim hic conpendium ūt, quo de compendio conferat Th. Mommsenium in H. Keilii *gramm. Lat.* vol. IIII. in *Addendis* et *corrigendis* p. 613., scriptum fuisse, unde facile *u* litterâ abiectâ *t* illud oriri potuit, deinde etiam hoc meminerit, in hac ipsa oratione olim conpendium eius modi in codice antiquo fuisse nos doceri §. 69., ubi in uerbis: *si aliter (est iudicatum), non dubium est utrum iudices an iuris consulti uituperandi sint*, codex optumus ille Tegernseensis non *utrum* totidem litteris scriptum habet, uerum *ut*, ut facile appareat conpendium illud a Th. Mommsenio monstratum ūt colim in odice archetypo huius orationis scriptum fuisse. Quod quum ita sit, nemo me reprehendet, si ego contendam in scriptura illa *quaerit* per unam litteram solam manufesto deprehendi *quaeri utrum*, ut nullo modo dubitari possit quin haec orationis membra ita inter se exaequanda sint: *in iudicium non uenire, utrum A. Caecina possederit necne, tamen doceri possedisse: multo etiam minus quaeri, utrum A. Caecinae fundus sit necne, me tamen id ipsum docuisse, fundum esse Cae-*

cinae. Nulla enim ratio erat, cur in altero membro poneretur *utrum*, in altero non item.

Sed ne diutius haereamus in philologorum minutiis atque ineptiis, iam ueniamus ad illam rem, quae nobis hoc scribendi munus inposuit. Iam enim reddenda ratio est, quo euentu commilitones hoc anno de praemiis eruditionis conuertauerint.

Ac primum quidem Theologorum Ordini, qui Anselmi Cantuariensis *de satisfactione doctrinam exponendam et diiudicandam* proposuerat, unus est traditus libellus, qui eam materiam tractandam susceperat, ita inscriptus: '*Qui non crediderit, non experietur et qui expertus non fuerit, non intelliget.*' Haec commentatio adsiduum nobilissimi illius dialogi studium, laudabilem litterarum, quae huc faciunt, cognitionem et usum, acrem in iudicandis Anselmi sententiis mentis aciem auctoris ostendit. Sed scriptor libelli in rebus exponendis maiore sollertia, in iudicandis maiore fide atque aequitate uti debebat. Etiam sermone Latino saepius non satis puro nec satis simplici usus est. Quamquam haec in illo libello Ordini Theologorum reprehendenda esse uisa sunt, illis tamen rebus, quae in eo libello laudandae et praedicandae erant, Ordo grauissumus adductus est, ut scriptorem libelli praemio non indignum esse censeret. Aperta igitur scidula inuentus est auctor

HENRICUS AEMILIUS GUSTAUUS HOEHNE
Niederfaehrâ Misnicus,
theologiae tempore paschali etiam tum studiosus.

Ordini Iureconsultorum, qui *de portione statutaria iuris Germanici disputari* iusserat, unus traditus libellus est, ita inscriptus: '*Ora et labora*', qui quidem scriptione ipsa aequo iudici satis facere, sed propter rerum ac sententiarum exilitatem praemio dignus existumari non posset.

Ordo Medicorum ipse quoque unum libellum accepit, cui hoc inscriptum erat: '*Der langjährige Streit über die Epithel der Lungenalveolen bringt in Erinnerung, dass bei Feststellung anatomischer Verhältnisse physiologisches oder pathologisches Raisonnement direkten Beobachtungen an Werth weit zurücksteht.*' De eo libello Ordo gratiosissumus hoc iudicium fecit: 'Commentationis pars prima physiologica industrie scripta praesentiam epithelii pulmonum, uti nunc fere omnes anatomici, adfirmat. Altera pathologica pars, pari sedulitate elaborata, quaestionem hanc admodum difficilem, quod quidem attinet ad pneumoniam exsudatiuam, satis idonee soluit,' et scriptorem libelli praemio dignum censuit. Signo scidulae remoto inuentus est auctor

OTTOMAR BAYER
Lipsiensis,
medicinae baccalaureus.

Ordinis Philosophorum classis prima hoc proposuerat argumentum: *Darstellung der Karthagischen Staatsverfassung.* De hoc argumento duo libelli certauerunt, quorum qui inscriptus erat: '*Nec tantum Karthago habuisset opum sescentos fere annos sine consiliis et disciplina.* Cic. de re publ.,' tam diligenter tamque accurate discriptus omnique cogitatione pertractatus atque in suo genere perfectus erat, ut non solum magna scriptoris diligentia, uerum etiam subtile iudicium ubique appareret, numquam festinationis aut leuitatis uestigium exstaret ac, si quid in eo libello minus placeret, id in ipsa scriptura non ineleganti illa quidem, sed non ab omnibus uitiis libera positum esse uideretur. Alter libellus de hoc argumento redditus, qui inscriptus erat his uerbis: '*Let your indulgence set me free,*' oratione quidem satis eleganti scriptus erat, sed quum auctor eius libelli omisso artis historicae studio accuratiore ac fontibus, quibus uti debebat, parum inuestigatis rem ipsam satis exiliter pertractauisset, eius libellus cum altero libello aequipari nullo modo potuit. Itaque Ordo Philosophorum auctori libelli, qui priore loco appellatus est, praemium tribuendum, scriptori alterius libelli laudationem decernendam censuit. Prioris igitur libelli scidula aperta inuentus auctor est

OTTO MELTZER
Lauensteinensis,
philologiae et historiae studiosus.

Ab eiusdem Ordinis classe altera hoc propositum argumentum erat: '*Ueber Platon's Timaios und sein Verhältniss zur gesammten Lehre Platon's.*' De hoc argumento unus libellus, cui haec sententia erat inscripta: '*Ἐὰν ζητῇς καλῶς, εὑρήσεις,*' Ordini Philosophorum traditus est, qui quamquam opiniones de libris Platonis eorumque scriptione multas continet, quae coniecturis admodum incertis atque audacibus nituntur, tamen sine dubio hoc testatur, scriptorem libelli non solum Platonis libros diligenter lectitauisse, uerum etiam litteras, quae sunt de ea re recentiore aetate scriptae atque editae, accurate pertractauisse, quam ob rem auctor libelli, praesertim quum ipsa scriptione perspicua atque eleganti commendaretur, iure suo praemio dignus existumatus est. Signo igitur remoto inuentus est

GUILELMUS OSCAR ERNESTUS WINDISCH
Dresdensis,
philologiae studiosus.

Ab eiusdem Ordinis classe tertia haec proposita erat quaestio: '*Ueber den Zusammenhang der Krystallform mit den übrigen physikalischen Eigenschaften der Körper.*' De ea materia una dissertatio Ordini amplissumo tradita est de eoque libello Ordo Philosophorum ita censuit, quamquam melius fecisset auctor, si omnia ea, quae in crystallis animaduersa sunt, una conprehensione conplexus esset eaque re quae dicenda erant magis coartauisset, cuius rei facultatem rationes aequilibritatis in uariis crystallorum systematis ab ipso institutae ei faciebant, tamen ob magnam diligentiam atque sollertiam, qua scriptor quae usque adhuc ab aliis erant animaduersa, conposuit et in pluribus rebus suo ipsius studio etiam longius progredi conatus est, ei decernendum praemium esse. Scidula aperta inuentus est

E. T. KOETTERITZSCH
Gossbergensis,
mathematices et scientiae rerum naturalium studiosus.

Iam noua in annum, qui insequitur, argumenta proponuntur haec

ab Ordine Theologorum:

Exponatur quonam iure ecclesia paedobaptismo utatur,

ab Ordine Iureconsultorum:

Exponatur cui competat dominium ferae bestiae ab eo, qui ius uenandi non habet, occupatae,

ab Ordine Medicorum:

Nach einer neuern Ansicht (Schrön) soll die Hornschicht der Epidermis nicht aus den Zellen des rete Malpighi, sondern aus dem zelligen Ueberzug der Horndrüsen hervorgehen. Diese Annahme soll einer sachlichen Kritik unterworfen werden,

ab Ordinis Philosophorum classe prima:

De fontibus Diogenis Laërtii.

ab eiusdem Ordinis classe altera:

Beurtheilung von Kant's Antinomienlehre sowohl ihrer Idee nach als hinsichtlich der Ausführung derselben,

ab eiusdem Ordinis classe tertia:

Vergleichung der Gründe, mit welchen Fr. List (Nationales System der politischen Oekonomie Bd. I.*) und H. C. Carey (Principles of social science,* III. Voll., *deutsch von Adler) das Schutzzollsystem vertheidigt haben.*

His rebus propositis habetis, commilitones humanissumi, dignam materiam, in qua uires uestras exercere nobisque studiorum uestrorum fructus probare possitis. Optamus autem, commilitones ornatissumi, ut in singulos annos uestrum studium magis ac magis efflorescat. Eos autem, qui uestrum hoc anno certamen subire uolent, rogatos esse uolumus, ut scripta sua adiunctâ scidâ obsignatâ, quae nomen scriptoris contineat dictoque eodem, quo scriptum, notata sit, ante Kalendas Augustas proximi anni decanis tradant.

P. P. Lipsiae d. V. mens. Nouembris a. MDCCCLXVI.

LIPSIAE FORMIS DESCRIPSIT A. EDELMANNUS TYPOGR. ACAD.